ADRIANI KLVIT

ANTIQVITATVM ET HISTORIAE IN PRIMIS DIPLOMATICAE BELGII FEDERATI PROFESSORIS ORDINARII

HISTORIAE FEDERVM BELGII FEDERATI

PRIMAE LINEAE

IN VSVM AVDITORVM.

PARS SECVNDA.

LVGDVNI BATAVORVM,

APVD SAMVELEM ET IOANNEM LVCHTMANS.

CIↃIↃCCXCI.

CAPVT QVINTVM.

SISTENS

NEXVM REIPVBLICAE CVM GENTIBVS EXTRA EVROPAM; SIMVL EA QVAE PERTINENT AD SOCIETATES INDIAE ORIENTALIS ET OCCIDENTALIS.

CAP. V.

Belgis omnia pervia.

§. CCCLXVII. Belgarum industria pervicax omnia perrupit impedimenta, et talia in Oriente et Occidente perfecit, quae fieri per humanam prudentiam atque potentiam potuisse negares. Inter humani certe generis miracula, dicam, an prodigia, censeri debet, quod Mercatores nonnulli Europaei in aversis fere Orbis terrarum partibus, solo mercaturae studio moti, plures sibi nationes obnoxias fecerunt, quam Gens olim Romana Imperandi caussa armis victricibus sibi subiecit.

Indiam Orientalem adeunt.

§. CCCLXVIII. Quod ad *Indiam Orientalem!* Eo iam mature est navigatum per Lusitanos. Detecta per hos sunt loca fama antehac vix cognita. A. 1486. Caput Bonae spei est aditum. Repertae tandem Insulae pretioso aromatum proventu magis de-

CAP. V. deinde nobilitatae. Historiam Detectionis, et varios eius effectus *in statu Europae politico* et gentium moribus, plures *Scriptores* literis mandarunt.

Occasio et modus. §. CCCLXIX. Belgae suam potissimum fortunam, an fortunas, an vero utraque simul, debent Lusitanorum conatibus. Sed quomodo? cum Lusitanis quum arma non essent, Belgae merces Orientis ex portu Lisbonensi, qui Lusitanorum erat, petere consueverant. Sed hi Regis Hispaniae, qui a. 1580. Lusitaniam cum eaque omnes Orientis opes sibi vindicaverat, imprudentia inde exclusi, Duce HOVTMANNO, qui omnem itineris et commercii Indici rationem ab Lusitanis edoctus, sed ab his male erat mulcatus, fortunam suam experiuntur. In patriam redux Orientis ostentat opes! Iam a. 1598. visitantur Insulae Moluccanae, hosti, nunc suo, parentes; ineuntur *pacta* conventa cum Regulis de mercatura certo modo peragenda. Multae in Belgio privatim oriuntur mercantium Sodalitates, quae, dum se invicem laedunt aliasque ob *rationes*, tandem publica auctoritate a. 1602. d. 20. Apr. coalescunt; et erecta sic est generalis illa *Societas Mercatoria Indiae Orientalis*.

Erectae Societatis Indic. Or. Privilegia. §. CCCLXX. Huic Societati ab OO. Federatis concedebatur *Privilegium* (*Octroi*) ad 21. annos, quod in hunc usque diem, ob insignem utilitatem, variis quamquam temporum *intervallis*, *modis*, *conditionibus*, continuatum, durabit usque ad a. 1796. (n. 228.) Ex illo concessa sunt Societati *Indiae Orientalis* insignia iura, *Maiestatis* aemula, sed in Oriente exercenda; datum ius belli, pacis, legationum, federum, munitionum; facultas alendi copias, ornandi naves bellicas, eligendi praefe-

fectos militares, nominandi magiſtratus politicos iudicesque; ſalvo tamen in his omnibus 1. iureiurando Ordinibus Federatis et Societati, cum ab magiſtratibus tum ab incolis Indicis praeſtando. 2. Recurſu ad Ordines Fedd. et 3. Miniſtrorum per OO. FF. approbatione. Naves hostium captae ex generali Lege Belgica dividuntur. Territoria acquirenda poteſtati Societatis ſubiiciuntur. Pacta ineuntur nomine Ordinum Generalium. De iure Monetam cudendi deinceps cautum est. Huius Privilegii ope praeclara quaevis gesta ſunt et ſuſtentata! CAP. V.

§. CCCLXXI. Effectus coniunctioris huius Societatis prae ceteris fuit, ut Socii intra ſemiſeculum amplius 300 naves pretioſa merce Indica onustas Luſitanis ex §. CCCLXIX. pro hostibus habitis adimerent; ipſorum territoria occuparent; loca munita et inſulas expugnarent; atque adeo omnes fere Orientis divitias, quantum per indigenas licebat, ſuum in ſinum transfuſas, per totam deinceps Europam navibus ſuis ſoli distribuerent. Vnde inexhauſti hactenus pecuniarum theſauri accumulati; et inſignis mercaturae exterae, et proficuae, vigor! Vnde ratio, cur adverſus Gentes exteras, tum etiam adverſus privatorum civium conamina, Ordinum Fedd. ſedula ſemper ſit defenſio. Horum effectus ſalutares.

§. CCCLXXII. Regionum occupatarum, vel mercaturae accommodatarum, hiſtoria ex temporis ordine paucis hic tradenda! Prima Societatis Indicae acquiſitio fuerunt Inſulae *Moluccanae* ſive *Aromatitae*, *Amboina*, *Ternate*, *Tidor*, aliae. Ex his *Amboina* Pacto quodam, parum ſancte ſervato (n. 293.), diu cum Anglis in commune posſeſ- Territoria ordine temporis. Moluccae.

CAP. V. ſa: de quo CAP. VI. Plura cum Regulis *Ternatenſi*, *Tidorenſi*, intercesſerunt Pacta Conventa, a. 1607, 1609, 1613, 1629, 1638, 1652, 1653, 1658, 1661, 1680. (n. 240, 256, 457, 493, 521, etc.) ex quibus, praeter complures alias ſtipulationes hi Principes Gentesque obligatae, nullam cum aliis facere mercaturam; ac ſimul cautum de arbuſtis fructiferis.

Iava. Inſula *Iava* iam a. 1599. ab Belgis adita; inde a. 1619. eiecti demum *Luſitani*, deinde et *Angli*. Varia quoque bella cum Regulis geſta; Pacta cum iisdem inita ab a. 1646. in quibus eminet a. 1658. (n. 493.); ex his alii Commercio excluſi. Misſae ab Inſulanis ad OO. Belg. Feder. plures ſplendidae atque honorificae Legationes. Ruinis urbis vetuſtae *Iacatra* excitata *Batavia*, urbs Metropolis et ſedes facta totius Belgarum in Oriente Imperii. Detectae incolarum, praeſertim Chinenſium, illic habitantium conſpirationes a. 1722. et 1741. eaeque non leni ſane remedio ſuppresſae.

Ceilan. Succesſit Inſula *Ceilanenſis* (Belgis *Ceilon* dicta) optimi Cinnamomi ſola ferax. Post imploratum Belgarum, ab Rege Ceilan ſive *Candi*, adverſus Luſitanos auxilium, hi inde expulſi per *Inducias* a. 1638. d. 23. Maii. Actum de hoc negotio cum Rege Luſitaniae, nunc ſui iuris, ex Federe a. 1645. (n. 389.). Inſulam a. 1672. fruſtra tentabant Galli. Tutabantur a. 1781. iidem Galli. Societas Belgarum, exorto hoc ſeculo cum Rege Candiae bello, victrix, pacem cum eo ſociavit a. 1766. d. 14. Febr. et d. 14. Apr. (n. 1145.) qua ſummum Belgarum agnoſcitur Imperium in omnem Inſulae oram maritimam; excluduntur omnes

nes Gentes exterae, et commercium certis adſtringitur legibus et pactis. CAP. V.

Cum Rege *Macasſare*, qui partem tenet inſulae *Celebes*, a. 1604. d. 11. Nov. (n. 235.) nomine OO. et MAVRITII Principis adverſus communem hostem Luſitanum, inita Pacta. Cum eodem post bellum vario marte gestum a. 1660. Pax intercesſit. Hac minus religioſe ab Rege ſervata novum ſecutum est Fedus *Subiectionis* a. 1667. d. 18. Nov. (n. 600.) quo omnis Mercatura ſolis Belgis est asſerta. Regi frenum detrectanti et victo durior praeſcripta Pax est a. 1669. d. 15. et 27. Iul. (n. 619.) Plures porro Reguli ſubiecti (n. 605.), et alia acta a. 1778. Macasſar.

Malaccam, urbem Regni cognominis metropolim a. 1641. Luſitanis ereptam, ut commodam mercaturae ſedem et portum, ſervant Belgae. Eius in vicinia Regulus *Riouw* ex clandeſtina Mercatura famoſus Belgis ſe ſubiecit a. 1784. (n. 1238.). Malacca.

Ora *Malabarica*, ab a. 1497. Luſitanis ſubiecta, iam a. 1610. Belgis cognita; eius cum Regulis inita Pacta (n. 261.); Territoria *Cochin*, *Cananoor*, alia, una cum Mercatura, post initam Pacem, Belgis asſerta; eiecti inde a. 1661—1663. (n. 521, 542, 543, 544.) Luſitani, graviter de occupatione, post initum cum ipſis Fedus, conquerentes. Malabar.

In ditione *Behgalenſi* in Peninſula *Indica* multa fuere Belgarum loca, plura conamina, parum tamen proficua. Pauca illic ſuperſunt munimenta et ſedes mercaturae oportunae. Bengale.

Ab altera Peninſulae parte in *Ora Coromandel*, *Negapatnam* urbem, a. 1658. Belgae Luſitanis, nuper Angli Belgis eripuere. Vrbs *St. Thomae* Gallici hodie iuris est, et quomodo? Coromandel.

CAP. V. In Regnum *Iapan*, (*Japon*) iam a. 1600. ab Belgis penetratum. Aliae naves a. 1609. eo profectae. Misfae ab Societate nostra ad Regem fplendidae Legationes. Literae Regis *Iaponn.* ad MAVRITIVM *Hollandiae Regem* vocatum. Iefuitarum culpa omnes inde CHRISTIANI expulfi. Soli *Hollandi* certis fub legibus tolerati.

Iapan.

China. In Regnum *Chinenfe* tentata iam a. 1594. Belgis via est per *mare Boreale*. Testantur id Documenta fide digna. Alia fuere ab a. 1601. conamina. Misfae illuc infignes Belgarum Legationes. Olim usque ad a. 1700. infignis Mercatura in oppido *Tonquin*. Ea omnibus hodie Gentibus, folo in portu *Canton*, aeque libera, et quatenus libera? Ipfi Anglo-Americani fuam illic experiuntur fortunam.

Formofa, Siam, Pegu. Omisfo de Infula *Formofa*, de Regnis *Siammenfi*, *Peguenfi*, *Basfora*, *Ormus*, aliisque locis, quae olim Belgarum erant, fermone, postrema eorum et oportuna quammaxime fuit acquifitio, *Promontorium Africae* feu *Caput Bonae Spei*. Emtum hic ab indigenis quoddam Territorium; duce RIEBEEKIO Coloni deducti; agri excoli coepti; amoena nunc et Societati Ind. Orient. perquam oportuna fedes.

Caput Bonae Spei.

Diverfis fub titulis. Tenent haec Belgae variis titulis, varia ratione. Ex his enim gentibus aliae penitus funt *Iuris* Belgarum, et Societati parent. Aliae *Pactis* duntaxat obftrictae. Aliae *liberae* ac fui Iuris, falva tamen *Mercatura* vel penitus *libera*, vel ex pactis exclufivis nobis *debita*, vel cum aliis *communis*.

Alius hodie ordo. §. CCCLXXIII. Alius est hodie ordo Posfesfionum, et multae fedes hodierno commercio in-

inſervientes (66). Pendent haec ab publica administratione. Estque ea bipartita, vel in *Europa* vel in *India*.

CAP. V.

Administratio Europaea.

In Europa omne Societatis corpus distributum est in Sex *Collegia* (*Kamers*), quae conſtant 69. Moderatoribus (*Bewindhebbers*) in urbibus *Amſteldam*, *Middelburg*, *Delft*, *Rotterdam*, *Hoorn*, *Enkhuizen*. Ex Sociis ipſis certa lege conſtituuntur XVII—viri, ſive Collegium *Moderatorum* (*de Kamer van Zeventienen*) penes quod est omnis regiminis cura, decernendi auctoritas, et ius de ſumma rei, cum hic, tum in India, quod ad mercaturam, navigationem, rem militarem et civilem, ex auctoritate Ordinum Generalium, conſtituendi. Omnibus praeest Princeps WILHELMVS V. tamquam *ſupremus univerſae Societatis Moderator et Gubernator Generalis*, ab ipſis XVII—viris ex eadem OO. GG. auctoritate conſtitutus (67) iisdem iuribus ac praerogativis, quibus antea parens eius WIL-

---

(66) Ex ipſis *Indiae Orient.* libris memorialibus ſeu ſic dicto *Nomenclatore Indico*, harum ſeriem et ordinem exhibuit pluribusque explicuit ARY HUYSERS, *Beknopte Beſchryving der Oost-Indiſche Etablisſementen*, Trai. ad Rhen. 1789. Praef. p. XI. 8vo. qui ſcriptor rerum gnarus ſimul cuiusque territorii ſtatum et lucrum inde perceptum, iuxta et necesſitates, accurate recenſet.

(67) *Nieuwe Nederl. Jaarboeken*, a. 1766. p. 318. ſqq. ex OO. GG. Decreto a. 1766. d. 24. Mart. ubi Belg. audit: *Opperbewindhebber en Gouverneur Generaal over de geheele Oost-Indiſche Compagnie.*

CAP. V. WILHELMUS IV. Quarto quoque anno rationes reddi Ordd. GG. solent. Et ex ipsis Moderatoribus nonnulli quotannis Hagae Comitis conveniunt (vulgo *'t Besogne*).

Administratio Indica. Administratio *Indica* novem Praefecturis maioribus (*Gouvernementen*) absolvitur, longe lateque per Orientem dispersis, quae et suas iterum habent *Subpraefecturas* variis nominibus insignitas, non omnes tamen eadem potestate et iure gavisas, nonnullas mercaturae duntaxat curam habentes. Exstant et duo in Metropoli, quae summae rei praesunt, Collegia maiora. Alterum *Politicum* sive supremus cum Gubernatore Generali *Senatus Indicus* (vulgo *de Raad van Indie*). Alterum *Iudiciarium* seu summum Iustitiae Tribunal. Qui horum caput est, et dignitate ac potestate omnibus eminet *Gubernator* totius Indiae *Generalis*; cuius amplissima illic et Maiestatica fere est potestas, iura et officia; sed is ratione OO. GG. et XVII. Moderatorum suis circumscriptus limitibus; cui etiam pro more Orientis et pro ingenio populorum regii tribuuntur honores (68) et

---

(68) Exstat Dissert. Leidae defensa a. 1778. D. J. CANTER CAMERLING, *de potestate Gubernatoris Generalis res et territoria Societatis Batavae, in India Orientali, dirigentis.* Horum Gubernatorum ab prima inde origine catalogum, fata, res gestas, praeter A. VALENTYN, *Beschryving van Oud en Nieuw Oost-Indie*, T. IV. P. I. p. 264. sqq. et praeter Anglos Scriptt. Belgice versos, tit. *Hedendaagsche Oostersche Historie of Vervolg van de Algemeene Historie door een Gezelschap in Engeland*, T. X. P. II.

et pompa magnifica (69). Huic ordine proximus sic dictus *Director Generalis*, cuius curae mandata potisſimum est res mercatoria. Habent hi ſinguli ſuas Mandati formulas (vulgo *Inſtructien Artikelbrieven*). CAP. V.

§. CCCLXXIV. Misſa hic omni disputatione de iure *primae occupationis*, nec non de iure *prohibendi* gentes exteras ab commercio et navigatione per Indiam nostram; misſis quoque, quae de iure *excludendi* cives reliquos per *Privilegia*, quae aliis *Monopolii* inſtar videri posſunt, atque iccirco acerbe ab nonnullis, an ex merito? perſtringuntur; praeteritis quoque, quae hanc in rem abhinc XX. annis in Gallia inter VV. DD. MORELLET et NECKER disputata ſunt; quaeque absque ullo partium, id ſi fieri potest, ſtudio in utramque partem dici posſunt, et dicta ſunt egregie ab aliis (70); hoc tantum obſervo, niminem Belga-

Variae Quaeſtiones.

P. II. *behelzende de Hiſtorie van de Vereenigde Nederlandſche Oost-Indiſche Maatſchappy*, p. 851. ſqq., recenſet J. P. J. DU BOIS, *Vies des Gouverneurs Generaux des Indes, avec l'Abregé de l'Hiſtoire des Etablisſements Hollandois aux Indes Orientales*, la Haye 1763. 4to.

(69) Quam pluribus deſcribunt *Hedendaagſche Oosterſche Hiſtorie* l. l. p. 855—872.

(70) *Hedendaagſche Oosterſche Hiſtorie*, T. X. P. I. p. 3—10. et quos excitant alios. Add. *Analyſe de l'Hiſtoire Philoſ. & Politique des Etablisſemens*, Leid. 1775. p. 24. ſqq. et *Les intérêts des Nations de l'Europe relativement au Commerce*, T. I. p. 352. ſqq.

CAP. V. garum, qui opibus valet easque ad communem conferre utilitatem potest, symbolam conferre suam vetari.

Vtilitas Privilegii. §. CCCLXXV. Sed alia hodienum et maioris momenti ab nonnullis movetur Quaestio: utrum exclusiva haec Belgarum Privilegia plus Reipublicae nostrae civibusque in universum consideratis nocuerint an profuerint? Equidem ego, procul habita omni decidendi protervia, de hac quaestione, quae facti est, et unde apud nos omnis fere continuandae *Societatis* ratio pendet, tantummodo dicam, magnis eam animis seculo iam antecedente medio sub IOH. WITTIO esse agitatam. Negabat hic utilitatem. Affirmabant alii. Pro affirmante tunc decisum.

Ab experientia. §. CCCLXXVI. Quod si, sola Experientia magistra, res ab eventu foret dimetienda: respici sane oporteret ad lucrum et emolumentum in Socios, in rempublicam, in privatos inde redundans.

Primaeva sors Societatis. Quod ad *Socios!* Hi prima aetate quandam pecuniae summam in symbolam contulerunt. Vocatur *sors*, (vulgo *Capitaal of inleg*). Primaeva haec *Societatis* sors per 6 Collegia distributa, et unde maior minorve in administrando portio pendet, adscendebat paullo amplius quam sex millena florenorum millia (vulgo 6 Milliones). Haec divisa fuit in Nomina (*Actien of Obligatien*), quae singula valebant *f* 3000 (71). Fuit tempus, quo haec Nomina adscenderant ad *f* 20000 et amplius. Pen-

(71) *Tegenwoordige Staat der Vereenigde Nederlanden*, T. I. p. 429. sqq.

Pendet hoc valoris Nominum incrementum maxime ab insigniore mercaturae flore et lucro inde percepto. Ad hunc florem, praeter alias artes, quae mercaturam promovent, iuxta et proavorum prudentiam atque industriam, multum faciebant status Europae istius aevi Politicus, aliarum Gentium mores, in primis ipsa Reipublicae tranquillitas cum interna tum externa, et honos et existimatio ab aliis gentibus ei habita (72). Ex hac forte perceptos reditus amplissimos primam ipsam sortem superare, nihil fuit insolens. Exstant *Tabellae* inde ab a. 1606. et porro, usque ad nostram aetatem publice editae, quae docent, quantum usurarum his ex nominibus solvi quotannis potuerit et revera solutum sit ex residuo mercaturae proventu post deductas omnes sustentandae Societatis Expensas cum in Oriente tum in Belgio (73). *Expensae* autem sunt immensae; et requiruntur varii generis; pro fabricandis ornandisque quotannis navibus cum mercatoriis tum bellicis intra et extra Indiam; pro stipendiis nautarum, mi-

CAP. V.

Lucrum.

Expensae.

---

(72) Vt rem exemplo illustrem. Quae Nomina paullo ante a. 1672. valuerant ad *f* 19500, illa flagrante cum Gallis bello decreverant ad *f* 7500. Pace instaurata et vigente Republ. crescebat iterum valor. Porro quae adhuc a. 1673. *dividebantur* usurae $33\frac{1}{2}$ ex singulis centenis, illae intra 5 annos seqq. a. 1674—1678. per annum communem 5 duntaxat effecerant. ELIAS LUZAC, *Hollands Rykdom*, T. II. p. 117.

(73) Intra annos 160. inter Socios divisum esse plus *f* 180,000,000 flor. Holl. affirmant publica Acta.

CAP. V. militum, horumque praefectis; pro exstruendis locis munitis aliisque aedificiis; pro tuendis ab hoste oris maritimis et insulis ope navium; pro vectigalibus subsidiisque vel horum redemtione; pro impetranda concessi privilegii, tempore elapso, continuatione, quae multis vulgo millibus constat; denique pro ipsa mercium apud reges et indigenas coëmtione (74); postremo pro tolerandis publicae Administrationis ac Ministrorum varii ordinis sumtibus intra et extra Europam, proque tuendis Societatis dignitate et splendore coram Gentibus et Regibus Orientis, quorum oculi externo praestringi fulgore prae aliis amant. Varii autem sunt modi, et fontes, et adminicula, quibus haec deinceps promota, sustentata.

Quod ad Rempublicam atque privatos! Quam insignia hinc redundent in omnem *Rempublicam*, in publica *aeraria*, in omnes *civium* ordines et classes, in artes manuarias, fabricas, commercium maritimum, verbo, in omne genus mercaturae (75), immo in peregrinos, emolumenta, et divites merca-

---

(74) Quae sola mercium coëmtio, ut exemplo probem, intra 120 annos constitisse legitur *f* 351,000,000. VALENTYN, *Beschryving van Oost-Indien*, T. I. P. I. p. 210. sqq.

(75) Si vera nonnullorum est computatio, ne quarta quidem pars Mercium in patriam advectarum hic consumitur. Tres quartae igitur partes aliorsum mittuntur, quibus solvendis inserviunt vel aliae merces, vel parata pecunia. Vnde commercium.

caturae fontes (76); et an promoveri haec omnia, CAP. V. sine *Societate* privatis privilegiis munita, facile potuerint, hic dicere non vacat.

§. CCCLXXVII. Eaedemne causfae, et media, quae olim, hodie fubfiftunt omnia? An fervanda ideirco an misfa facienda hodie Societas? Quod fi fervanda, fi quid ipfa vitii contraxerit, reformandane et corrigenda? Haec alii diiudicent! Viguit Societas diu! Cognita funt tempora et epochae celebriores. Sed, quae rerum humanarum funt vices, et haec decrefcere vifa est. Iam ante nuperum cum Anglis bellum ftatus eius V. D. RAYN'ALIO defcribebatur tamquam conclamatus. An ex vero (77)? Infignioris certe profperitatis et incre-

An idem hodie vigor?

---

(76) Plura G. TH. RAYNAL, *Hiftoire Philofophique & Politique des Etablisfements & du Commerce des Européens dans les deux Indes*, T. I. p. m. 166. fqq. Ed. 5. EL. LUZAC, *Hollands Rykdom, behelzende den Oorfprong van den Koophandel en van de Magt van dezen Staat*, enz. T. I. p. 294. fqq. T. II. p. 112. fqq. *Tegenwoordige Staat der Vereenigde Nederlanden*, T. I. p. 431. 438. *Hedend. Oosterfche Hiftorie*, T. X. p. 448. fqq.

(77) Multa minus ex vero de nostra Societate refert, immo *calumnias in eam evomuisfe* alibi legitur RAYNALIVS. Vtinam omnia, praeter infignem, quam Belgis tribuit, laudem, falfa praedicari queant! Hac occafione non posfum, quin excitem tabellam illam, quam delineat de antiqua Belgarum fapientia ac prudentia, et de hodierna eorum quam vocat corruptione, T. I. p. m. 254. L. II. C. 39. cui titulus: *Caufes de la Profperi-*

CAP. V. crementi, uti olim diverſae erant cauſſae et media, ita plures deinde concurrerunt rationes externae, internae, morales, phyſicae, istius decrementi et lapſus. Recenſet has ex ſua opinione RAYNAL; recenſent *alii*.

Decrementum et damna.

Imminutas esſe vires Societatis ſua iam aetate conquestus est Gubernator Indiae Generalis IMHOFF (78). Neque *tunc* recens erat malum. Ad res inſtaurandas quae fuerit opera WILHELMI IV. ſupremi Gubernatoris ac Moderatorum, docent Annales.

Quantum verò damni ac iacturae nostra aetate ex bello Anglico in hanc Societatem ſit illatum, graphice alibi depingitur (79); quae damna procul du-

---

rité de la Compagnie. Longe gravius, benignius etiam, de Belgis nostris hac in parte est iudicium Scriptt. Anglorum, *Hedend. Oosterſche Hiſtorie*, T. X. p. 905—921. immo invidendas fere aliis gentibus laudes Societati nostrae impertiunt p. 705—708.

(78) *Memorie van den Gouverneur Generaal van* IMHOFF, a. 1741. quae proſtat in calce Libri: *Le Commerce de la Hollande*, Amſt. 1768. 8vo. ſub titulo: *Conſiderations ſur l'état préſent de la Compagnie Hollandoiſe des Indes-Orientales, relativement à ſa Navigation, à ſon Commerce, & à ſon Gouvernement; & ſur les Moyens de remédier à ſa decadence par M. le Baron* D'IMHOFF, *Gouverneur de Batavia.* Add. EL. LUZAC, *Hollands Rykdom*, T. IV. p. 166. ſqq. Cl. T. II. p. 119.

(79) *Nieuwe Nederl. Jaarboeken*, a. 1783. p. 203, 245, 1032, 1571, 1727. ſqq. Conf. Monita a. 1779.

dubio caveri potuisſent, ſi audita fuisſent. . . . . CAP. V.
Sed hoc erat in fatis! OO. GG. identidem ab Societate rogati ſunt ſubſidia, qualia et ipſa olim Societas commodare Reipublicae ſolebat, ſi haec egeret nummis. Sed haec temporaria!

§. CCCLXXVIII. De inſtauranda Societate multi multa hodie in literas redegerunt. Vt malis quaerantur remedia; ante omnia nosſe ipſa mala eorumque origines oportet. In his detegendis aliorum deſudat diligentia (80). Quaeri his vulgo ſolet, utrum causſae Decrementi oriantur, ex nimia posſesſionum ac territoriorum hic illic ſparſorum extenſione, unde difficilior ac dispendioſior adminiſtratio? An quaerendae in nimia earum, quae advehuntur, cuiusvis generis mercium copia, unde harum pretii imminutio? An in concurſu aliarum Gentium cum aliis in mercibus, tum praeſertim in iis, quae Societati privae ſunt, et utinam ſemper privae maneant! An in neglecta GG. exiſtimatione et defen- Privatorum de causſis opiniones.

1779. p. 133—154. et a. 1780. p. 438. ſq. Add. quae a. 1785. d. 22. Nov. et a. 1788. d. 29. Mart. ratione *Mercaturae*, *Defenſionis*, et rei *pecuniariae*, ad OO. GG. relata ſunt.

(80) Inter exteros eminet RAYNAL, *Hiſtoire Philoſophique & Politique*, T. I. L. II. C. 40. p. 254. tit. *Raiſons de la Décadence de la Compagnie.* Inter Belgas EL. LUZAC, *Hollands Rykdom*, T. IV. p. 166. ſqq. Ne memorem quae obſervata ſunt ad IMHOVIVM in *Le Commerce de la Hollande*, T. I. p. 117. ſqq. Sed cui ſuas oppoſuit rationes V. D. LVZACIVS.

CAP. V. fenſione, bellisque hinc Societati cum ab Indis tum ab Europaeis illatis, magno ſaepe cum posſesſionum et mercaturae detrimento coniunctis? An in facultate commercii in ipſa India peragendi ab GG. Europaeis in ſuos collata cives; Belgis vero minus permisſa? An in clandeſtinâ Navigatione et Mercatura cum ipſis Societatis navibus? An generatim in dolis fraudibusque eorum, qui in India Societati operam dant? An in abuſibus vitiisque, quae in adminiſtratione Europaea irrepſerunt, vel in extenſisſimo plura per corpora regimine, vel in ſuperfluis muneribus, gravisſimisque expenſis? An vero in omnibus, vel certe plurimis ſimul, causſis?

Haec quidem *privatis* Scriptorum iudiciis facile posſunt reliqui. Ipſe RAYNAL, quidquid mali huic Societati portendat, ſat rationum habere Rempublicam, cur eam Societatem velit conſervatam, et remediorum adhuc abunde ſuperesſe, ipſe exiſtimat, quibus inſtaurari, ſi quâ foret collapſa, posſet (81).

Ordinum GG. hodie deliberationes.

§. CCCLXXIX. Quidquid igitur hoc est: provida cura Patrum his malis procul dubio pro ſua ſapientia profſpiciet, et ſerias hodie inſtituit Deliberationes: quo ſpectant Decreta OO. GG. a. 1787. d. 12. Apr. et a. 1790. d. 14. Maii, tit. *Reſolutie en Plan tot verbetering van de Directie by de Oost-Indiſche Compagnie, en Reſolutie, waar by*

(81) RAYNAL l. l. C. XLI. p. 261. *Moyens qui reſtent à la Compagnie pour rétablir ſes affaires.* Add. EL. LUZAC l. l. p. 282. et 445. ſqq.

by het Plan met eenige Articulen werd geamplieerd en des noods gealtereerd. In iis eminet praeliminaris haec disquisitio: sitne decrementum Soc. Ind. Or. situm iis in malis morbisve, quae quaslibet pedetentim Societates et corpora Mercatoria ac Politica, vel afficiant, vel enervent; an vero ab causfis aliunde accedentibus haec pendeant? Quo spectant Literae Delegatorum a. 1790. d. 9. Iul. CAP. V.

De damnis ex aliarum Gentium industria, ratione *Aromatum*, metuendis; deque aperiendis novis viis, novisque Commercii fontibus, aliorum observata praetereo.

§. CCCLXXX. De prima *Americae* detectione eiusque partibus per CHRISTOPHORVM COLVMBVM, FERDINANDVM CORTESIVM, et AMERICVM VESPVTIVM, ex quo posteriore novo huic Orbi nomen adhaesit; exponunt alii. Nos de *Belgis* sumus solliciti! De horum seriori illas in oras navigatione, et irritis in multa, quae hodie Hispanorum et aliarum gentium sunt, loca conatibus legi posfunt WAGENARIVS et EL. LVZAC (82). Attamen iam a. 1581. instituta eo est navigatio. Felix succesfus plures allexit. Americae detectio.

§. CCCLXXXI. *Societatis Indiae Occidentalis* Belgarum eaedem fere origines, causfae, finesque atque *Orientalis*. Bellum Hispanicum. Subiectio Lusitaniae. Mercatorum concursus, industria, et Rei- Societatis Privilegium a. 1621.

---

(82) WAGENAAR, *Histor. Patr.* T. IX. p. 151. EL. LUZAC, *Hollands Rykdom*, T. I. p. 315. sqq.

CAP. V. Reipublicae adverſus hostes iuvandae ardor (83). Erecta est ea a. 1621. d. 3. Iun. dato *Privilegio* ad 24. annos, ac ſaepe continuata (n. 297.). Complectebatur Privilegium omnem ſimul oram Africae, extendebatque ſe ab Tropico Cancri usque ad Caput Bonae Spei, ad omnem porro Americam, inde ab parte meridionali terrae Novae (*Terreneuf*) per Freta Magellanicum et Maireanum, usque ad Fretum Anian, terrasque et inſulas omnes et mare cum Boreale tum Auſtrale inter duos meridianos. Prohibita ſimul est 9. Iun. quaelibet privatorum navigatio, ſaepe repetita. Inſignia adiecta ſunt iura, officia, obligationes, ad inſtar fere Soc. Orientalis. Nonnulla tamen maioris momenti ſibi reſervabant OO. GG.

Pristinus Vigor. §. CCCLXXXII. Quam inſigniter haec Societas prima aetate floruerit, hoc uno probetur exemplo. Legitur ea intra a. 1623—1638. naves 800 inſtruxiſſe; expendiſse ad *f* 45,000,000; Hispanis vero ac Luſitanis ademiſse 545 naves aliaque ad *f* 90,000,000 aeſtimata. Adde quod ſub PETRO HEINIO, Praefecto navali, a. 1628. Hispanorum Claſsis, *argentea* dicta, expugnata, cuius praeda aeſtimata ad *f* 14,000,000. Vnde inſignis pecuniae ſumma in Socios distributa, conſilio ſane multis ex *cauſſis* tunc minus ſalutari!

Posſesſiones §. CCCLXXXIII. Hoc innixa Privilegio Societas multas inſuper ſibi quaeſivit posſesſiones, tenuitque

(83) Conf. BAUDART, *Kerklyke en Wereldlyke Geſchiedenisſen*, L. XIV. p. 205. ſq.

que diu insulas, oras maritimas, territoria extensa. CAP. V.
Eminebat in his olim *Brasilia*, regio immensa, Lusitanis, in quantum possidebatur, ademta, Belgis eorumque mercaturae immensum profutura, si in illa conservanda sua commoda novissent. Missus eo fuit IOANNES MAVRITIVS, cuius res praeclare gestas referunt BARLAEVS et PLANTA. Praefuit illic per 8 annos. Invitabantur incolae Brasiliani, ut suas iterum sedes quiete occuparent a. 1630. (n. 334.). Illo reduce nonnullorum imprudentia spes omnis decollavit, et tempore belli CROMWELLANI Belgae inde eiecti. Quidquid vero iuris his supererat, post longas cum Lusitanis controversias, ex pacto cum Alphonso Rege Portug. a. 1661. (n. 526.) redemtum summa *f* 8,000,000 Societati solvenda; protestantibus duabus Provinciis. Nonnulla tamen Belgis relicta, in his *libera* in Brasiliam navigatio, quae tamen parum profuit multis *ex caussis*. Brasilia.

Aliae in America possessiones in terra continente *Guiana*, *Suriname*, *Berbice*, *Essequebo*, *Demerary*; Insulae *Curacao*, *St. Eustatii*, *Saba*, *St. Martini*, *Aruba*, *Buenaire*, *Tabago*, *Novum Belgium*; in *Africae* ora *Guineënsi* Arces *Delmina* sive *St. Georgii*, *Nassau* sive *Murea*, *Axim*, aliaeque minoris momenti, ex quibus tamen nonnulla iterum amissa.

§. CCCLXXXIV. Primaeva Societatis Sors collata fuit circiter ad *f* 8,000,000, quae in Nomina singula *f* 6000 distributa. Exstant Tabellae, quibus apparet quantum usurae complures per annos ex his perceptum. Sors.

§. CCCLXXXV. Administratio Europaea olim Administratio.

 plu-

CAP. V. pluribus, nunc X. Moderatoribus est commissa (*de Kamer van Tienen*). Cui tamquam supremus Moderator (*Opperdirecteur*) eodem fere iure atque in Societ. Ind. Orient. praeest WILHELMVS V. Administrationem Domesticam in America et Africa, quaeque Coloniarum sunt iura, leges, qui Magistratus, quaeque Officia praestanda, praeter ipsas Privilegii literas, docent formulae Mandati (vulgo *de Instructien voor de Regeeringen in de West-Indie* cett.) inde ab a. 1636, 1647. sqq. Sed de his crebrae contentiones.

Societatis Decrementum.

§. CCCLXXXVI. Decrevit ea paullatim. Variae Decrementi erant *caussae*, eaeque ab Societate Orient. *diversae*. Quod enim Bellum cum Hispania dabat emolumentum, illud omne Pax Monast. dissipavit. Accessit amissio Brasiliae. Lex Navalis CROMWELLANA. Aemulatio aliorum. Vnde paullatim tot tantaque cepit decrementa, ut, quo tempore Societas Orientalis maximum vigoris sui attingebat fastigium, haec sustentare sese non amplius posset, contracto insigni aere alieno.

Nova Societas a. 1674.

§. CCCLXXXVII. Quapropter Coetus OO. GG., habita ratione priorum sociorum ac creditorum, hanc suppressit, novam instituit, res collapsas instauravit, dato a. 1674. d. 20. Sept. (n. 297.) ad 25. annos novo Privilegio. De Vsuris prioris sortis solvendis peculiari cavebant modo a. 1675. Renovatum est illud a. 1700. et a. 1730. d. 30. Nov. ad 30. annos, eo adhibito temperamento, ut salva Societate eiusque regimine plenior privatis daretur facultas navigandi et commercandi certis sub legibus et pensionibus; unde maior Redituum perceptio; dataque simul ex Decreto Ordinum Genn.

Varia lege continuata.

a. 1730.

a. 1730. (84) omnibus Belgis libera Servorum et Mercium ex Africae oris advectio in Curacao aliaque loca, servata tamen Societati privatim illa Africae ora, quae extenditur ab *Cabo Apollonia* usque ad Rivum *de la Volta*. Sed etiam haec deinceps ex parte mutata. Continuatum et hoc est Privilegium a. 1761. ad 30. annos. CAP. V.

§. CCCLXXXVIII. De malis ac malorum remediis multa sunt privatorum scripta, in quibus eminent RAYNAL et LVZAC (85). Reditus quidem variis ex fontibus percipiuntur. Sed haud minores hodie requiruntur expensae ad omnia onera sustentanda. De instaurando an supprimendo Privilegio dum OO. GG. hodie deliberant, quis futurus sit exitus, dies docebit. An continuanda?

§. CCCLXXXIX. Sed *Colonia Surinamensis* hic separatim est consideranda cum ratione administrationis tum culturae. Sita est in continenti Regionis *Guianae*. Ipsa Guiana quatuor in partes divisa, quarum una Hispanica, altera Gallica, tertia Lusitanica; media inter Hispanos et Gallos tenent Belgae. Cum Gallis de limitibus certant (86). Iam a. 1580. Guiana.

(84) *Nieuwe Nederl. Jaarboeken*, a. 1761. p. 1205.

(85) Addi potest qui hic lectu omnino dignus Auctor Anon. *le Commerce de la Hollande*, T. I. p. 212. sqq. *Proeve over de Middelen tot bescherming van de Zeevaart en Koophandel, en tot verdediging van de binnen- en buitenlandsche Bezittingen der Republicq*, Amst. 1783. 8vo.

(86) JAN JAC. HARTZINCK, *Beschryving van Guia-*

CAP. V. a. 1580. Belgae privatim navigabant ad flumina *Orenoque* et *Amazonum*. Duae illic arces structae *Orange* et *Nassau*. Promontoria inde denominata.

Suriname. Ipsa Colonia *Suriname* varia experta est fata (87); a. 1640. per Gallos *occupata*; Anglis *relicta*; his per Belgas *ablata*; eorum ius ex Pacto a. 1667. d. 31. Iul. §. III. (n. 597.) est agnitum; et a. 1674. §. V, VII. (n. 671.) confirmatum. Zeelandi, qui hanc occuparant coluerantque, ius suum pro certa pecuniae summa ex pactis cesserunt Societati Indiae Occidentalis a. 1682. sq. (n. 732.) sed ea sumtibus coloniae deducendae atque instruendae tunc temporis impar, tertiam partem urbi Amstelodamo, alteram tertiam Dynastae de Sommelsdyk tradidit a. 1683. d. 21. Maii, factum approbantibus, et iura nova, Coloniis magis propria, concedentibus OO. GG. a. 1686. d. 5. Oct. (n. 752.) Separato Privilegio ab OO. tunc mactata, unde et peculiare *Societatis Surinamensis* nomen, et separata Administratio cum interna tum Europaea (88). Portio *Sommelsdykiana*, a. 1692. WILHELMO III. Princ. Arausf.

Guiana of de wilde Kust in Zuid-America, a. 1770. 4to. T. I. p. 168. et T. II. p. 521.

(87) Recenset ea J. J. HARTZINCK, l. l. T. II. p. 582. sqq.

(88) Res omnis accurate narratur *Nederl. Jaarboeken*, a. 1762. p. 485—534. occasione Controversiae cum provincia Traiectensi de milite. Add. *Groot Placaatboek*, T. III. p. 1425. et T. IV. p. 1337. et J. J. HARTZINCK, l. l. T. II. p. 868—872.

Arauf. et Regi M. Brit. frustra vendita, a. 1770. ad urbem *Amſtelodamum* translata. Omnibus Belgis libera est Navigatio ſalvo Vectigali et ſub lege redeundi ad proprios lares. Variis haec luctata est calamitatibus, infestata ab Gallis a. 1712. (89) potisſimum ab ſervis, cum ſilvestribus, tum iugi dominorum impatientibus; tum ab internis etiam disſidiis (90). Causſae *Sommelsdykii* et *I. I. Mauritii* Gubb. ab OO. GG. vindicatae. CAP. V.

§. CCCXC. Egregie floret haec Colonia. Ingens mesſis ſolidioris ſpes est. Incrementi capax. Huius momentum ex eo colligas, quod, qui agri *Sacchari* feraces a. 1683. non niſi 50. numerabantur, a. 1712. iam crevisſent ad 200., quorum media cuiusque taxatio ad *f* 30000. Ne alios memorem *Proventus* (91). Sunt qui cenſeant, quamdiu Eius Cultura.

---

(89) EL. LUZAC, *Hollands Rykdom*, T. II. p. 167.

(90) Huc maxime referri debent *Nederl. Jaarboeken*, a. 1757, ~~1763. p.~~ 339. a. 1764. p. 329, 401. et a. 1776, 1777. ubi pasſim de Servorum tumultu deque exortis inde acerrimis ſuper regimine et milite in ipſa Republica Controverſiis. Add. EL. LUZAC, l. l. p. 157. ſqq. RAYNAL, *Hiſtoire Philoſophique & Politique*, T. IV. p. 268. ſqq. L. XII. C. 44. ubi de periculis ab ſervis metuendis.

(91) De ingenti pecuniae ſumma ex *Coffea*, *Cacao*, *Gosſypio*, *Saccharo*, etc. percepta intra annos 1726—1770. testantur Tabellae publice editae. De Comparatione cum aliis Gentibus, RAYNAL, *Hiſtoire Philoſophique & Politique*, T. V. p. 285. ubi L. XIV. C. 60.

CAP. V. diu Lex salutaris ac priva de libera Navigatione per naves indigenas in Belgium reduces vigeat; et legibus haud permissa Mercatura et Navigatio cum Federatis Anglo-Americanis, aliisque, salva Colonorum prosperitate, impediri possit: fore ut ex sola Colonia *Surinamensi* maiora et stabiliora in Rempublicam et Cives redundent emolumenta quam ex omni India Orientali (92). De caritate ac penuria *Servorum* in Coloniis graves hodie sunt querelae (93). Exstant variae de horum Commercio leges et Pacta; nonnulla etiam cum Populis Guianae, accolis, quae vetant, quemquam ex his servum fieri. Pactum a. 1669. d. 18. Iul. (n. 618.) cum FREDERICO CASIMIRO, Comite de Hanau, de deducenda Germanorum Colonia, fuit irritum (94). Effectu etiam caruere Privilegii Literae ab Directoribus datae a. 1742. d. 5. Sept. cuidam Societati scrutandis metallifodinis, tit. *de Geoctroyeerde Surinaamsche Mineraal-Compagnie.* Caus-

---

Resumé des richesses que l'Europe tire des Isles de l'Amerique.

(92) *Le Commerce de la Hollande*, T. I. p. 256. Add. *Proeve over de Middelen*, p. 148. sqq. et verba in *Nieuwe Nederl. Jaarboeken*, a. 1774. p. 625.

(93) *Nieuwe Nederl. Jaarboeken*, a. 1788. p. 499. sqq. ubi Libellus supplex Colonorum *Berbice*, *Essequebo*, etc.

(94) Cf. HARTZINCK, *Beschryving van Guiana*, T. I. p. 216. sqq.

Causſa CLIFFORTIANA, per ſemiſeculum agitata, nulli genti ſuſcepta est. CAP. V.

§. CCCXCI. Quae de *Suriname*, eadem fere de aliis Coloniis. In his *Berbice*. Haec a. 1619. privatis ſumtibus ab IOH. VAN PEERE est condita. Varia fuere fata. Multum ea a. 1712. ab Gallis perpesſa est. Ex pacto a. 1714. d. 14. Oct. translatum est huius familiae ius in mercatores quosdam *Amſtelodamenſes*. Post alia multa ex Pacto a. 1632. d. 27. Sept. et inſecuto OO. GG. Decreto d. 6. Dec. libera omnibus Belgis data est Navigatio, ſimul et iura Colonorum definita. Separatim adminiſtratur in Europa. Multum ei nocuit Servorum Seditio a. 1763. cuius originem, progresſus, ſequelas et exitum referunt Annales (95). A. 1781. ab Anglis occupata, per pacem reddita. Berbice.

§. CCCXCII. Coloniae *Esſequebo* et *Demerary*. Harum *prima*, Anglis erepta, olim *Nova Zeelandia* dicta, eodem quo *Suriname* titulo, Iuris est Belgarum. *Altera* recentioris culturae ab a. 1745. ſed optimae *ſpei* et mesſis inſecutae. Nostra aetate de navigandi libertate inſignes inter *Zeelandos* et Societatem Indicam una cum *Hollandis* controverſiae. Harum origo ex Decreto Societatis a. 1750. d. 11. Aug. Post multa in utramque partem cum publice tum privatim ſcripta et acriter inter *Hollandos*, Esſequebo, Demerary.

(95) *Nederl. Jaarboeken*, a. 1763. p. 586, 611. a. 1764. p. 366, 560, 953. et a. 1765. p. 339. Add. HARTZINCK, *Beſchryving van Guiana*, T. I. p. 369. ſqq.

CAP. V. *dos*, *Zeelandosque* disputata, capto arbitro WILHELMO V. Gubernatore, Lis diremta est, et libertas omnibus civibus, certa ſub lege quae *Zeelandis* prodesſet, asſerta. Sed novae deinceps ſupervenerunt controverſiae de ſeparato regimine utriusque coloniae, de iure vendendi agros colendos, et de fodiendo inter utramque canali (96).

Et hae Coloniae nupero bello ab Anglis occupatae, nobis redditae.

De iis inſtaurandis et promovendis multa molimina, ac conſilia (97) cum colonorum tum aliorum. Summa autem harum Coloniarum utilitas et neceſſitas in praeſenti Mercaturae nostrae ſtatu nemini ambigua (98).

St. Euſtatii, Curacao. §. CCCXCIII. Inſulae *St. Euſtatii*, *Curacao*, et aliae minoris momenti, magis ex ſitu mercantibus oportuno quam ex ſoli fertilitate aeſtimari ſolent.

---

(96) Haec pluribus exponuntur *Nederl. Jaarboeken*, a. 1750, 1751, 1770, 1772. OO. GG. Edictum a. 1773. p. 74—77. et eius ſequelae a. 1773. p. 583. a. 1774. p. 668. a. 1776. p. 878. ſqq. Add. EL. LUZAC, *Hollands Rykdom*, T. II. p. 244. ſqq. et J. J. HARTZINCK, *Beſchryving van Guiana*, T. I. p. 227. ſqq. 769, 945.

(97) De his in primis legantur *Brieven over het beſtuur der Colonien Esſequebo en Demerary*, *gewisſeld tusſchen de Heeren* ARISTODEMUS *en* SINCERUS, a. 1785. X. Voll. 8vo.

(98) Ibid. *Docta Praefat.* T. I. p. 7—15. et *Praefat.* T. VI. p. 14. ſqq. Add. ſupra (n. 93.)

lent. *St. Eustatii*, et *Saba* emto quaesita. Harum varia fuere fata. Anglorum etiam arma experta. *St. Eustatii* Insula, bis ab Anglis capta, bis ab Gallis vindicata, et nobis reddita. *St. Martini* ab a. 1638. communis Belgarum ac Gallorum possessio. Galli ab Anglis a. 1747. expulsi. Vnde adhuc a. 1751. controversiae (99). De regimine *St. Eustatii* cautum (1). De permittenda exteris etiam Gentibus navigandi libertate aliquando cogitatum. An salutari rei publicae consilio, disquiritur. CAP. V.

Alia quaestio est Politica, an non praestet, omnes Coloniae, quae *agriculturae* inserviunt, sive solae, sive cum reliquis coniunctae terris Societati Ind. Occident. subiectis, sine aliorum interventu, pareant OO. GG. et administrationi minus divisae subsint. De quo negotio hodie deliberant OO. GG.

§. CCCXCIV. De Reipublicae possessionibus ad oram *Africae* meridionalem, nominatim *Guineam*, vulgo *de Goudkust*, exponunt scriptores (2). Respublica Belg. de privilegiis ad detegendas auri argentique in *Guinea* fodinas iam a. 1601. cogitarat (3). Hanc, Lusitanis ademtam, ex Federe a. 1641. (n. 373.) servarunt et de finibus Africa.

---

(99) *Nouvell. Extraord.* a. 1751. n. 26.

(1) *Nederl. Jaarboeken*, a. 1763. p. 357. sqq.

(2) In his eminent W. BOSMAN, *Beschryving der Guineesche Goudkust*, Traiect. ad Rhen. 1704. 4to. *Hedendaagsche Oostersche Historie*, T. XV. P. II. et T. XVI. P. I.

(3) *Resolutie van Holland*, a. 1601. fol. 216.

CAP. V. bus convenerunt Belgae. Arx DELMINA, a. 1452. ab Lusitanis exstructa, simul occupata. Regiminis cura Directori Generali est commissa, ex Legibus a. 1733, 1736, 1740. cett. Navigandi ac commercandi libertas cuivis civi sancita, ex Decretis OO. a. 1730. d. 8. Aug. et a. 1734. d. 6. Octob.

Hae Regiones, praeter merces quasdam pretiosas, Reipubl. admodum prosunt ad servos venales inde devehendos. De qua re nunc.

Servorum Commercium. §. CCCXCV. Post missas DD. controversias, quid iustum sit quidve iniustum circa servos? quo sensu servitus non pugnare iuri naturali, quove contra naturam esse dicatur? an Religioni Christianae adversetur? quaenam iure Gentium, Europaearum, et aliarum, hodiedum valeat; similesque (4); nostrum ex his commercium contemplemur.

Origo. Quod ad originem! Quum unica fere *commodi* hauriendi ex *Coloniis*, quas deduxerunt Europaei, ratio sit, ut terrae novercae ad culturam redigantur, neque alia hunc finem consequendi hactenus reperta sit via, nisi per colonarios seu servos ex *Africa* pe-

(4) De quibus praeter alia plura exstant etiam Dissertationes Leidae defensae CAR. IOH. BISDOM, *de servitute moderata, ab aequitate naturali haud prorsus aliena*, a. 1750. A. H. ROYER, *de natura et indole Servitutis tum ex iure naturae tum ex legibus civilibus Hebraeis, Romanis, et etiam Belgicis*, a. 1762. Add. I. BEELDSNYDER, *de statu servorum qui in Coloniis Batavorum Indicis secundum Leges obtinet*, a. 1775.

petitos, pecunia coëmtos: hinc repetenda origo Commercii ſervorum Afrorum (vulgo *Negers*). Hos vero coëmendi Gentibus Europaeis anſa arrepta primitus est ex ipſa Afrorum inquilinorum conſuetudine barbara (quae in Europa inter Christianos nunc penitus cesſavit) bello captos in ſervitutem detrudendi et venum dandi. Hac arrepta occaſione Luſitani et Hispani, primi, *Angolae* forum mercatorium erexerunt. *Belgae*, utut libertatis ipſi amantes, Luſitanis ex hoc mercatu eiectis (5), eadem qua reliquae gentes Europaeae necesſitate compulſi, Coloniarum causſa, hanc mercaturam mature iam exercuere et exercent adhuc. CAP. V.

§. CCCXCVI. Est autem incredibilis ſervorum numerus, qui quotannis ex *Africa* in omnes Gentium Europae Colonias *Americanas* devehuntur. Est afflictisſima horum praeſertim in transvectione conditio! Est ingens miſere illic pereuntium ſtrages! Vehementer iccirco in Europaeos invehitur RAYNAL. Prae reliquis tamen Gentibus Europaeis laudantur Belgae; ab aliis Galli; quorum leges (*Code noir*) certe exemplo proponuntur. Conditio Servorum.

§. CCCXCVII. Vtcumque autem pro hodierno rerum ſtatu *necesſarius* penitus ſit Servorum in Coloniis uſus: utcumque ingens inde Commercii momentum et commodum in omnes Gentes cum publi- An tollenda?

---

(5) Ecquid mirum hoc! Quum ne ipſi Anglo-Americani, qui ſuam ſibi libertatem haud ita pridem vindicarunt, his alendis non abſtineant.

CAP. V. blice tum privatim redundans (6): ut prorsus tamen omnis aboleatur servitus, optat humanitas; ut uno id fiat impetu, si fiat, variae dissuadent rationes, ipsa etiam humanitas. Haec quoque caussa esse videtur, cur post tot in utramque partem edita praesertim in Anglia scripta, sive de abolenda (7), sive de mitiganda servitute (8) tam caute et suspenso velut gradu hodie procedant Anglorum Proceres (*Parlement*). Haec vero quaestio propterea hic memoranda, quod eius exitus, quisquis ille, nostras etiam Colonias aliquando afficere posse videatur.

Horum penuria. §. CCCXCVIII. De penuria et caritate Servorum querelas in Belgio supra memoravi. Variae sunt decrescentis Commercii Servorum caussae apud

(6) Vt exemplo rem illustrem. Ex Catalogo Parlamento Anglico exhibito computantur hac aetate in solis Anglorum Coloniis occiduis, intra quater et quinquies centena Servorum Millia; quorum pretium, si singulos aestimes ad *f* 440. plus quam *f* 200,000,000 flor. Holl. efficit.

(7) In his prae aliis commendatur Liber: *Le More Lack, ou Essay sur les Moyens les plus doux & les plus equitables d'abolir le Traité & l'Esclavage des Nègres d'Afrique, en conservant aux Colonies tous les Avantages d'une population agricole.* Lond. 1789. 8vo.

(8) Vid. quos laudat *Praefatio* ad T. VI. p. 41. *Brieven van* ARISTODEMUS *en* SINCERUS. Defenditur illic servorum status contra RAYNAL *Histoire Philosophique & Politique*, T. VII. p. 83. sqq.

apud Belgas (9); varia etiam proponuntur mali re- CAP. V.
media. Quanta autem ſit Reipublicae et *utilitas* et *necesſitas*, ut hoc Commercium et ſervorum transvectio ab ſolis fiat civibus, praeter privata ſcripta, agnoſcunt ipſi OO. Holl. (10), quidquid etiam remediorum urgens et extrema necesſitas, ex collapſa illa Mercatura et damnoſisſimis eius *ſequelis*, *excogitaverit* vel tacite *admiſerit*.

De iure Servorum in ipſam Rempublicam *liberam* nostris ex Coloniis devectorum exſtat recens OO. GG. Edictum a. 1776. d. 23. Maii (n. 1161.).

§. CCCXCIX. Servorum necesſitas progenuit celebre *Fedus d'Asſiento*. Sic vocatur Fedus, quod Rex Hispan. primò a. 1701. d. 27. Aug. (n. 845.) cum Rege Galliae ſive cum Societate Gallo-Guineënſi ad 10. annos; deinde ex belli necesſitate a. 1713. d. 26. Mart. (n. 908.) cum Societate Anglica Indiae Occidentalis ad 30. annos iniit, per quod ſub certis ſtipulationibus Commercium et devectio Servorum ex oris *Africae* ad certum numerum

Fedus d'Asſiento.

---

(9) *Brieven van* ARISTODEMUS *en* SINCERUS, T. IV. p. 122. et *Praefatio* T. VI. p. 64. De mali remediis, p. 106. ſqq.

(10) Merentur verba adſcribi ex Decretis OO. Holl. a. 1788. d. 16. Maii: *Dat de voorſpoed der Colonien afhangt van den overvloedigen aanvoer van Negers —— en het mede als eene grondwaarheid aanzien, dat de Negerhandel enkel en alleen door Ingezetenen behoort gedreven te worden, en dat het niet alleen gevaarlyk, maar allerverderſlykst zoude zyn, denzelven aan Vreemdelingen toëtelaten.*

CAP. V. rum pro determinata pecuniae summa in Colonias Hispanicas ab Rege Hispaniae concessa est, ea interposita §. XVIII. (a. 1713.) conditione, ut ne idem aliis liceret. Permissa simul Anglis §. XLII. facultas, quotannis unam navim maiorem mercibus Europaeis onustam eo devehendi (11). Quae Anglorum navigatio ne ulterius extendatur, neve *Belgis* fraudi esset; Federe Pacis inter Hisp. et Belg. a. 1714. §. XXXI. (n. 928.) stipulatio interposita est, ut, his salvis, Rex in posterum nulli Genti Europaeae quidquam agere Commercii permittat in Coloniis Hispanicis. Ex hoc Pacto *d'Assiento*, propter bellum cum Anglis a. 1739. intermisso, novae a. 1748. d. 30. Apr. et a. 1750. d. 5. Oct. (n. 1087.) inter Reges Conventiones, per quas redimuntur quatuor anni intermissi, aliaque in favorem Britanniae addita (12). De renovando hoc Federe *d'Assiento* a. 1786. iterum iniecti sermones.

Belgarum cautio.

Societas Maris Pacifici.

§. CCCC. Nova in Indiam Orient. via a. 1616, per

(11) De omni hac re LAMBERTY, *Memoires*, T. VII. p. 124. *Eclaircissement sur l'origine de l'Assiento ou le Commerce des Nègres.* Add. TORCY, *Memoires*, T. III. p. 33. sqq. MILLOT, *Memoire Politique & Militaire du Duc de Noailles*, T. III. p. 193. sqq. VON STEK, Versuch über Handels- und Schiffahrtsverträge, p. 18. et 58. sqq. J. J. MOSER, Versuch eines Neuesten Europäischen Völkerrechts, T. VII. p. 714. sqq.

(12) Exstat etiam Pactum a. 1750. in WENCKII, *Cod. Iur. Gentium recentissimi*, T. II. p. 464.

per Fretum, ab eius inventore ISAACO LE MAIRE *Maireanum* dictum, occasionem dedit novae tentandae Societati (*de Zuidzee - Maatschappy*). Exstant Sollemnia occupationis et captae possessionis Terrae Magellanicae et Maireanae (n. 287.). Sed renisa Societas Orientalis haec conamina dissipavit. CAP. V.

§. CCCCI. Deductae ab Belgis a. 1610. sunt Coloniae in *Novum Belgium*, ab Belgarum Praefecto, natione Anglo, H. HVDSONO, sinus *Hudsonici* inventore, detectum, et missis eo colonis excultum. Rex IACOBVS I. hanc regionem sibi vindicare conabatur. Sub CROMWELLO a. 1650—1654. suborta est controversia de limitibus inter *Novum* hoc *Belgium* et *Novam Angliam* (n. 430.); de quibus etiam exstat OO. GG. Edictum a. 1664. (n. 551.). Occuparunt hoc Angli a. 1664. et initum Pactum est (n. 557.). Per Belgas a. 1673. ademtum, his restitutum est, et ab Regis fratre *Novum Eboracum* (*Nieuw Jork*) dictum. Huic olim annexa erat Regio, *Nieuw Jersey*, itidem Anglis asserta.

Novum Belgium.

Omitto alia loca passim ab Belgis occupata, deserta, ademta; *Tobago*, quae olim *Nova Walacria* dicta; *Cayenne*, quo Colonia deducta; *Arguin* in *Africa*, quae ex Pacto a. 1727. d. 13. Ian. (n. 983.) Gallis relicta. Cett.

Tobago, etc.

§ CCCCII. Tandem novus in *America* intercessit nexus cum exorta recens Republica Federata Anglo-Americana. Postquam hi nempe arma adversus Regem M. Brit. cepissent: Belgae, orto interim cum Anglis bello, primi post Gallos, has Colonias *gentes liberas ac sui iuris* declarabant a. 1782. d. 19. Apr. (n. 1213.). Admissus statim in

Fedus Commercii cum Fedd. Anglo-Americanis.

CAP. V. in OO. GG. Comitia Minister ADAMS (13) proponit Fedus Amicitiae et Commercii. Eodem anno d. 8. Oct. (n. 1218.) Fedus illud Amicitiae et Commercii publica nunc auctoritate coaluit. (Cf. §§. CCLXXI. et CCLXXVII.). Conſtat §§. XXIX. et complectitur Regulas, hodie vulgo ſtipulari ſolitas, quas ad tria potisſimum capita referas, 1. ad Commercia tempore Pacis, 2. ad ea, quae tempore fractae pacis obſervanda, et 3. ad iura et officia praeſtanda, ſi alterutra paciscentium cum extera gente bello implicatur. Speciatim vero §. XI. ſq. ſtabiliuntur Regulae: *libera navi, libera merx*; et *inimica navi, merx inimica*; §. XXIV. recenſentur *merces vetitae*. Eodem die inita est Conventio de *recuperandis navibus ab hoste captis* (n. 1219.). Ingentes multi ſperabant fructus! Quid in posterum Respublica vel cives inde conſecuturi ſint, docebit dies et uſus (14). Certe ab *Lege Navali*, ſi qua feratur Anglicae ſimilis, tuti videntur Belgae (15).

---

(13) *Nieuwe Nederl. Jaarboeken*, a. 1782. p. 458. ſqq. et a. 1783. p. 271.

(14) De querelis fruſtratae Mercaturae *Nieuwe Nederl. Jaarboeken*, a. 1787. p. 385.

(15) Cf. J. G. BÜSCH, Grundriß einer Geſchichte der merkwürdigſten Welthandel neuerer Zeit, a. 1783. p. 31. Cf. p. 390. et 405.

C A-

CAPVT SEXTVM.

DE

CONTROVERSIIS REIPVBLICAE BELGICAE CVM GENTIBVS EVROPAEIS, PARTIM SVPER TERRITORIIS EXTRA EVROPAM SITIS, PARTIM SVPER IPSO NAVIGATIONIS ET COMMERCII ILLIC EXERCENDI IVRE AGITATIS.

§. CCCCIII. Belgarum industria multos excitavit aemulos; ex aemulatione natae plures aliarum Gentium Societates. Primos harum auctores, Anglos et Belgas, imitati ſunt Galli, Luſitani, Hispani, Auſtriaci, Dani, Sueci, Boruſſi, ſucceſſu plus minus felici. Ex hac aemulatione plurimae Belgarum controverſiae, ſimultates, odia, damna. Potiora tantum attingam. Procul tamen et hic abſit decidendi protervia! CAP. VI. Gentium aemulatio.

CAP. VI. CVM ANGLIS.

Anglorum. §. CCCCIV. Cum Anglis haud ſunt recentes controverſiae. Erecta est horum Societas *Indiae Orient.* a. 1600. exigua cum *Sorte.* Vtraque Gens ante Inducias a. 1609. ſuam promovebant navigationem; expellebant Luſitanos; ſed, ut ſit, ſemet ipſi invicem deturbare conabantur. Vt turbae hinc metuendae ſupprimerentur, post irrita a. 1613, 1615. conamina, inter utramque Societatem a. 1619. d. 22. Iun. et d. 17. Iul. (n. 293.) ſingularis inibatur Conventio, ad 20. annos duratura, de inſula *Amboina* in commune poſſidenda, de libera Orientis navigatione, de communi illic defenſione, commercio, lucro, deque erigendo *Senatu Defenſionis.*

Communis olim posſesſio.

Res Amboinenſis. Sed a. 1622. inſigniter mutata ſcena est ex detecta *Conſpiratione Amboinenſi;* cuius Belgae accuſabant Anglos; Angli praetextum vocabant. Severisſima tunc ab Anglis, immo, ut cenſent alii, inhumana, ſumta ſunt ſupplicia. Rem istam aegerrime tulit Rex IACOBVS I. Ipſum ſupplicium *facinus* vocant Angli, quin duriori etiam voce *homicidium.* Diu duravit indignatio. Hinc explicanda Regis CAROLI I. protestatio a. 1625. (n. 317.) et OO. GG. in Pace CROMWELLANA a. 1654. §. XXVII. promisſio de puniendis conſciis. Ex pace a. 1662. (n. 537.) ſubſedit penitus controverſia.

Poleron. §. CCCCV. Ex hoc tempore plures varii generis concertationes, terrarum occupationes, de posſidendo contentiones, et damna pecuniaria reſarcienda.

da. De insula *Poleron* diu litigatum. Ex Pace CROMWELL. a. 1654. §. XXX. (n. 461.) convenerat de legendis quatuor commisfariis, qui omnes lites inde ab a. 1611—1652. tam in India Orient., quam in Groenlandia, Russia, Brasilia, exortas componerent: quae (quod singulare!) si intra tres menses componi non possent, decidendae traderentur superarbitris *Helvetiis* religioni Protestantium addictis, ut intra 6 menses componantur. Sermo et tunc iniectus de Tribunali bipartito (*Chambre-mipartie*). Ex arbitrio Delegatorum secuta est a. 1654. d. 30. Aug. (n. 465.) Conventio de reparandis ac resarciendis mutuis utriusque Gentis *Societatum* damnis, Belgis sat aequa. Hanc excepit alia de capiendis *arbitris* ad componendas controversias ex priori arbitrio omissas vel denuo exortas a. 1655. d. $\frac{9}{19}$. Maii (n. 470.) qua abolita utrimque omnia postulata pecuniaria, soluta quadam pro damnis Anglo datis pecuniae summa, et rerum praeteritarum sancita oblivio. Mitto Pactum cum RICHARDO CROMWEL a. 1659. d. 6. et 27. Febr. (n. 499.), cum Gubernatore *Insulae Goeree* in Africa a. 1664. (n. 559.)

CAP. VI. Alia a. 1654. a. 1655. sqq. a. 1659.

Ad arma cavenda a. 1675. d. 18. Mart. (n. 686.) novum sub CAROLO II. Pactum cum OO. Belg. initum est de modo posthac componendi mutua Societatum litigia, si iustitia denegaretur.

a. 1675.

Ex insula *Iava*, et sede *Bantamensi*, ubi et Angli suam agebant mercaturam, nova a. 1680. sqq. rixarum materies. In dissidiis inter Regem *Bantam* et eius filium Angli parentis partes sequuntur, Belgae filii. Postquam Belgae praevaluere, Angli cum aliis inde eiecti. Res in bellum abiit *literarium* de

a. 1680.

CAP. VI. exclusiva Orientis Mercatura diu tractum (n. 738.) (16).

a. 1760. sqq. §. CCCCVI. Hoc seculo adeo insigne Anglorum ex bello cum Gallis, inde ab a. 1744., fuit incrementum in India Orient. ut ab a. 1763. possideant maximam, si non territorii, certe Commercii, Bengale, Malabar, Coromandel et Sinus Persici partem (17). De quibus taceri posset, nisi et huic negotio Belgae suo damno quodammodo immixti fuissent. Memorantur a. 1760. sqq. (n. 1131. sq.) reciprocae Anglorum et Belgarum querelae. Accusabantur Belgae sibi vindicasse Commercium Opii et Nitri. Contendebant Angli sibi licere cum Regulis Bengale contrahere Federa Commercii et Defensionis. Negabant id licere Belgae ex Pactis a. 1667. et 1674. Dolebant et hi de patratis hostilibus ac damnis in commercio datis. Ad arma deventum. Naves amissae et duae sedes Mercatoriae *Natter* et *Tapanioely*. Has reddi sibi postulabant Belgae; et voti sui compotes fiunt. De controversiis per arbitros componendis agitur. Sed neque tunc convenire de vero sensu Fedd. a. 1667, 1674, 1675. d. $\frac{8}{18}$. Mart. (n. 686.) poterant. Hinc nova conamina ineundi Federis, cuius fundamentum foret

(16) Add. SCHWEDER. *Theatr. Praetens.* T. I. p. 317.

(17) De his iudices ex recensione in *Nouvell. Extraord.* a. 1764. n. 45. Add. RAYNAL, *Etat Civil Politique & Commerçant du Bengale*, Mastr. 1775. II. Voll.

ret prius a. 1674. (18). Vtinam perfectum fuisset! CAP. VI.
Nupera Pace a. 1784. Anglis libertas navigandi nostram per Indiam concessa est (§. CCLXXXI.) a. 1784. de quo negotio iam a. 1750. consilia et conamina! et 1788. Quae tamen Navigatio quomodo accipi debeat, explicuere OO. GG. De finibus et navigatione *Africana* a. 1773. missi in Angliam Legati. In Federe mutuae Defensionis a. 1788. (n. 1264.) post constitutam denuo Rempublicam singulari modo §. VI. cautum est de tuendis Indiae Orient. possessionibus adversus GG. Europaeas (supra p. 281.).

CVM GALLIS.

§. CCCCVII. Alia, sed minus prospera, Gallorum in Oriente fuere conamina et commercia. De erecta saepe, saepe abolita, Societate Ind. Orient. nihil dico (19). Omitto privatas de captis navibus contentiones. Praeter duas admodum tenues *insulas*, alicuius tamen momenti hodie habendas, hanc *Bourbon*, illam *l'Isle de France*, olim *Maurits Eiland* dictam, a. 1598. Belgis assertam, ab Gal- Gallorum.

(18) Rem omnem pluribus exponunt *Nederl. Jaarb.* a. 1761. p. 13, 139, 1183. a. 1764. p. 71. sqq. ubi simul de vero sensu Fedd. difficilis et longa deliberatio. Add. J. J. MOSER, Versuch, T. VII. p. 357. Neque recens de hac re querela (n. 1090, 1125.).

(19) Cognosci historia et fata istius Societatis accurate possunt ex *Hedend. Oost. Histor.* T. XI. P. I. p. 86. sqq.

CAP. VI. Gallis deinde pro derelicta habitam et occupatam: posſident Galli ſolum oppidum Pondichery in ora Coromandel, et ſedes aliquot mercaturae deſtinatas. Hanc urbem Galli, (postquam a. 1672. occupata iam urbe *Trinconomale* Belgas ex inſula *Ceilan* expellere ſed frustra conati erant) ſua vice altero in bello amiſerunt ex Pacto Traditionis a. 1693. (n. 793.), ſed magnis eam ſumtibus munitam ex Pace Rysvic. recuperarunt. Neque reticenda hic Belgarum eodem in bello conamina de Gallis penitus ex India expellendis. Horum contra ingentes, WITTII aetate, conatus liberae navigationis et commercii in *nostris* Coloniis inſtituendi. De hodierna in continentis Indiae territoriis Mercatura iudicari potest ex *Tabellis*, quas edidit RAYNAL. Aromatum nostrorum avidi aliquot abhinc annis multa conati ſunt in Inſula *Bourbon* (20). Praeter haec in regionibus illis longe disſitis parum Belgis nocere, parum etiam prodesſe Galli posſe videntur. Alia nuper in bello cum Anglis fuerat ratio, et egregia de nostra Republ. illis in oris merita. Cf. §. CCXLVIII. p. 253. De rogato vero Ministro Regio in Batavia p. 257.

CVM LVSITANIS.

Luſitanorum. §. CCCCVIII. Luſitani ab a. 1580—1640. Hispa-

---

(20) *Notice ſur la vie de* M. POIVRE, *Cheval. de l'ordre du Roi, ancien intendant des Isles de France & de Bourbon*, 1786. 8vo. Philadelphia (Paris) cett.

panis parebant. Hac durante ſubiectione ea fere omnia Belgarum armis ſunt occupata, quae ſupra expoſui §§. CCCLXXII. ſqq. Postquam vero ſui iterum iuris facti ſunt, Rex IOHANNES h. n. IV. cum Belgis ad 10. annos a. 1641. *Inducias* pepigit *de posſidendo*. Post initum Fedus Belgae Luſitanos ex inſula *Ceilan*, Luſitani ſua vice Belgas a. 1648. ex regno Benquela et Angola in Africa, et a. 1654. ex omni Braſilia in America eiiciunt. Transactum de his omnibus a. 1661. (n. 526.). Quae deinceps vero inde natae ſunt controverſiae ac ſimultates, ſtrictim recenſui p. 294. Manſit tamen ex isto Fed. §. III. libera Belgis ad oras Braſilianas Navigatio et Mercatura (p. 357.). Ex §. IV. ad omnes, etiam Luſitanorum, in Africa posſesſiones eadem quoque mercandi libertas, et mercatorias erigendi ſedes facultas. CAP. VI. Varia.

§. CCCCIX. Attamen hoc ſeculo, ex isto §. IV. fuit Controverſia. Occaſio erat, quod Rex Luſitan. cuidam IOHANNI DANSAINT a. 1723. d. 23. Dec. Privilegio conceſſo, facultatem dederat exſtruendi munimenta et deducendi Coloniam ad *Corisco* ſeu *Cabo de Lopez*, excluſa penitus Societate Indiae Occident. Belgarum. Hinc querelae et de *finibus Guineae* lites, ac ſcripta; in his *Deductie der generale West-Indiſche Compagnie* a. 1725. d. 19. Iun. auctore J. DE LA BASSECOUR, et contrariae ſententiae refutatio a. 1727. d. 15. Oct. et d. 11. Nov. (n. 975. et 986.). Cui an quid oppoſitum? Societas a. 1723.

De *ligno Braſiliano* a. 1661. excepto, hoc ſeculo exſtant Pacta Conventa cum Anglis Mercato- Ligni et ſalis petitio.

CAP. VI. ribus (21). De ſalis petitione ex *Cetubal* (*St. Ubes*) ciusque vectigali ex eodem Federe, deque religionis R. Cathol. cultu in *Ceilan*, actum est a. 1711.

CVM HISPANIS.

Hispanorum.

§. CCCCX. De Hispanorum in Indias navigatione et controverſiis cum Belgis res altius est repetenda. Inſignis prima aetate novas inveſtigandi terras fuit ardor et aemulatio inter Luſitanos et Hispanos, postquam Rex Luſit. Alfonſus ex iure ſibi ab MARTINO V. Papa a. 1454. d. 8. Ian. conceſſo (quod tunc rogare neceſſe cenſebatur) usque ad *Guineam*, immo longe ulterius, penetraverat. Haec autem aemulatio labente ſeculo XV., dum Hispani Occidentem, Luſitani Orientem petebant, tantos inter Reges excitaverat fluctus, ut, quum ne ipſa quidem ceſſio inſulae *Canaridum* (22) per Luſitanos querelas Hispanicas ſopiret, res ad bellum ſpectare videretur. Vt arma evitarent, ambo Reges ex compromiſſo leguntur rogaſſe arbitrum ALEXANDRVM VI.; alii aliter! Sed quidquid hoc est, illud ex Bulla ALEXANDRI Papae a. 1493. d. 4. Maii (23) apparet, ipſum FERDINANDO et ISABELLAE Regibus Castellae et Arago-

Aemulatio cum Luſitanis.

(21) De hodierno horum ſtatu exſtant Literae a. 1789. d. 30. Iul.

(22) LEIBNITII, *Cod. Iur. GG. Dipl.* P. I. p. 446.

(23) Exſtat ea LEIBNIT. l. l. P. I. p. 472. DV MONT h. a.

goniae, linea per certum Meridianum ducta, dedisse ius in regiones horum sub auspiciis detectas, quaeque in Occidentem versus tendebant, eo habendas iure, quo Rex Lusitaniae suas tenebat terras conquisitas in India Orientali, Guinea, et ceteris Africae oris. Verum quum Lusitani his non acquiescerent, aliud inter ipsos Reges intercessit Pactum d. 7. Iun. 1494. ab urbe *Tordesillanum* vocatum, quo *nova* ducta *linea* Lusitanis faventiore convenit, ut Oriente Lusitanis relicto Hispanis versus occidentem navigare liceret.

Pacta de Navigando.

Haec inter RR. sollemniter sancita sunt. Ex isto tempore Hispanis neque navigare, neque commercia agere, licuit versus Orientem iuxta oras Africae, nec Lusitanis versus Occidentem, paucis exceptis. Quum autem Lusitani vi Pacti *Moluccas*, quas a. 1511. detexerant, tenerent, eas tamen CAROLVS Rex Hispan., ex constituta *demarcationis* quam vocant *linea*, persuasu FERDINANDI MAGELLANI, suas esse contenderet, Magellanus ille, Lusitanos deserens, sub CAROLO V. per fretum, ab se dictum *Magellanicum*, et per Mare Pacificum (clausa enim *ex Pactis* nunc erat via per Africam) primo detexit Insulas, quas serior aetas vocavit *Philippinas*, quarum caput urbs *Manilha*, et a. 1519. proxime ad Moluccas devenit, sed ab Lusit. repulsam tulit. CAROLVS vero bellis Europaeis nimis implicitus novo Federe cum Rege Lusitaniae a. 1529. d. 22. Aug. inito accepta ingenti pecuniae summa insulas Moluccas Lusitanis reliquit, iisque, quas Lusitani tenebant, regionibus ista via petendis penitus renunciavit: iterumque determinata *linea* est, quam transgredi in navigando neutri li-

Confirmata sub Carolo V.

Hispani via per Orientem exclusi.

ce-

CAP. VI. ceret. Ita Hispani ab eo tempore per Occidentem et Mare Pacificum Orientem petebant, et navigarunt ad *Philippinas*, et PHILIPPVS II. has Insulas a. 1564. ista navigando via sibi soli vindicavit.

Haec quidem hactenus nihil ad Belgas, nisi quatenus appareat, quae sit origo Pactorum inter Hisp. et Lusit.; ac simul quis navigandi fuerit status, antequam Lusitani Hispanis parebant. Hi vero a. 1580. ab Hispanis subiecti sibi servabant *Moluccas*; Hispani *Philippinas;* mansit de iure *linea* antea *ducta*, mansitque Hispanorum propria per Mare Pacificum navigatio, ope navium, deinceps vulgo *Manilhavaarders* dictarum, ipsis perquam proficua. Ex his Legibus et Pactis egerunt et vixerunt illae gentes. Hoc quo vivimus Seculo memoratur *Coniectio* Societatis ad tuendam mercaturam versus Insulas *Philippinas* ad 20. annos erigendae. Sed quidquid hoc est, de hac *linea* inter Reges convenit, et pristinis Pactis anno demum 1750. d. 13. Ian. uterque renunciarunt, adeoque ab hac parte naturali libertati non amplius obex ponitur.

Belgarum de his pacta.

§. CCCCXI. Interim Belgae Fedd. durante adhuc cum Hispanis, adeoque cum Lusitania Regi Hispan. parente, bello, multa in India Orient. loca occuparant et Lusitanis ademerant. His vero a. 1640. in pristinam se libertatem vindicantibus, Hispani, si qua forte, durante Lusitanorum subiectione, sub nomine vel vexillo Lusitanico, quidquam in contrarium nisi sunt, iterum iis contenti esse limitibus debuere, qui ipsos inter et Lusitanos olim erant statuti; neque amplius navigarunt secundum Africae oras. Atque hoc rerum statu intercessit a. 1648. Pax Belgarum Monasteriensis cum Hispa-

a. 1648.

pa-

panis, cuius §. v. convenit, ut Regis Hispaniae subditi suam, quam adhucdum habebant, *navigandi* libertatem in India Orient. retinerent, neque *eam ulterius extendere* ipsis liceret (24); contra vero Bel- CAP. VI.

(24) Haec formula, *de non ulterius per eos extendenda navigatione* (*zonder hen verder te mogen extenderen*) quantopere curae cordique Regi Hisp. fuerit, ut ne adiiciatur in Federe Pacis, ita ut ab ea vel omissa vel adiecta primo tempore penderet, utrum futura *Pax* esset nec ne; et quam propterea ad tempus missam faciebant Legati Belgg.; testantur Literae legatorum ad OO. GG. a. 1646. d. 19. Dec. prout has inveni in *MS. Verbaal van den Munsterschen Vredehandel*, tit. *Iste Memoriael tot Munster, beginnende* 20. *Dec.* 1645. — 17. *Febr.* 1646. ubi sic: *D'Articulen aengaende d'Indien syn met groote vehementie gedisputeert ende gecontradiceert, ende is seer nae by geweest, dat men* DAER-OP *soude hebben* AFFGEBROOCKEN. *Maer alles is nae veele moeytens gepasseert, ende aengenomen alleen met uytlatinge in het* VYFFDE *Artikel van de woorden omtrent het laetste, luydende als volcht:* SONDER HEN VERDER TE MOGEN EXTENDEREN. Legati tamen, iussu OO., illam tanti momenti clausulam ab Rege Pacis studioso tandem obtinuerunt; ut ipsae Pacis Tabulae docent. Huius autem clausulae vis et effectus quo magis in aperto sit, ac simul pateat eius occasio, et scopus; non possum quin hic adscribam verba, quae ipsi Societatis Orientalis Moderatores, ab OO. GG. rogati sententiam, eo tempore, quo de conficiendis Stipulationibus et Instructione Legatis danda deliberabat Respublica, ad Ordines GG. rescripserunt, sub tit. *Consideratien van de Oost-Indische Compagnie deser Landen*, ubi post actas Ordinibus GG. gratias et Societatem ipsis commendatam, sic pergunt: *om U Ho. Mo. te dienen van hare Consideratien opt geene aen den Heeren U Ho. Mo. Ambassadeurs en Plenipotentiarissen van wegen desen Staet gaende nae Munster in Westphalen op den Vredens Tractate aldaer in mandatis gegeven soude mogen worden, beroerende de* NAVIGATIE *ende* TRAEFYCQUE *uyt dese landen op de Oost-Indien metten gevolge ende aencleven van dien. — — Sullen de voorn. Gecommitteerdens — met behoorlicke reverentie en believen van U Ho. Mo. seggen,*

Dat

CAP. VI. Belgae loca Hispaniae non frequentarent; omissa ipsa *navigandi* mentione. Haec ulterius confirmata

a. 1714. sunt Pace Belgarum Traiectensi cum Hisp. a. 1714. §. XXXIV. (n. 928.).

Hispani a. 1732. contraniuntur. Dedit tamen Rex Hispan. a. 1732. d. 26. Apr. (n. 1005.) civibus suis Privilegium navigandi ad *Philippinas*, tit. *De Koninglyke-Spaansche Compag-*

Dat over veele jaren tusschen beyde de Croonen van Spagnie ende Portugael differenten ontstaen synde over de LIMITEN *ende scheydinge van handelinge d'jngesetenen van de gemelte Croonen inde Oost-Indien van outs gecompeteert hebbende; De voors. differenten eyndelinge by accort ende accommodatie syn getermineert jn dier vegen dat de Spagnaerden hebben moeten blyven uyt* PORTUGAELS INDIEN, *'t welck verstaen wert begrepen te syn tusschen de Meridiaen van de Caep de Bonne Esperance Oostwaerts aen tot de meridiaen van* . . Haec non addita . . . . *Sulex dat de Castiliaenen haer* VAERT *voor desen ende tegenwoordich niet verder* GEEXTENDEERT *hebben als door de Zuytzee totte Eylanden Philippes, ende naemaels by usurpatie buyten haer Limiten in een gedeelte van de Moluccos te weten op de Eylanden Tydoor ende Ternate.* — — — — Post pauca addunt: *Alhoewel die Gerequireerdens dienstiger souden oordeelen in den Oorloge mette Castilianen jnde Oost-Indien te continueren (vermits sy doch gestadich met te wapenen in de hant op haer hoede ende defensie moeten staen) soo vertrouwen sy, dat U Ho. Mo. in cas van Tractaet van Vrede of Treves soodanige sorge dragen sullen, dat de voors. Castilianen gelaten worden* BY HAER VAERT SOOSE D'SELVE NU ALDAER NOCH HEBBEN *sonder hun* VORDER TE MOGEN EXTENDEREN, *alle twelck sy de hoge Wysheyt van U Ho. Mo. vorders bevolen sullen laten.* — — Hoc igitur Fundamento inserta est illa Stipulatio iisdem verbis comprehensa. Additur alia praeterea ratio prohibendae istius extensionis: *Synde niettemin (onder reverentie) seer considerabel, oft gebeurde dat de Coninck van Spagnien in Portugaels Indien met groote macht soude mogen verschy-*

nen

pagnie der Philippynsche Eilanden. Exstant eius Literae ROUSSET, *Recueil*, T. VIII. p. 369. Cuius §. I. concessa est facultas navigandi secundum *Caput Bonae Spei* et commercia agendi cum Gentibus Asiaticis. Id quod Pactis adversari contendit Societas Ind. Orient., contendunt OO. GG. Graviter hac de re conquesti sunt Socii et OO. una cum Anglis, apud Regem Hisp. a. 1732. et a. 1768. CAP. VI.

Haud

---

een onder pretext van den Portugesen onder syne geboorsaembeyt te reduceren, ende dienvolgende haer die oorloge aendede; dat sulcx niet soude connen geschieden als met groote bedencken en pericul vande Geoctroyeerde Oost-Indische Compagnie, die daerdoor in een gestadich alarm tot hare groote coste sonde gebonden worden, Ende waeromme sy dan oock (onder reverentie) nootsaeckelick UYT PORTUGAELS INDIEN *sullen moeten gebonden worden.* —— —— *Overgegeven in 's Gravenhage den 23. Maert 1644.*

Hausi haec ex iisdem MSS. Codicibus seu *Actis Pacis Monaster.* In Volumine, cui titulus: *I. Quoyer van Resolutien van Hare Ho. Mo. Aengaende de generale Vredehandelinghe van den* XV. *April* XVI. c XXXIIIJ. *totten* XII. *Decemb.* XVI. c XLV. (Ad d. Jovis 23. Juny 1644.) Adducuntur et illic *Consideratien van de West-Indische Compagnie deser Landen*, quae insignem etiam huic negotio lucem conciliare possunt. Coniunctas hi volebant ambas Societates; viribus ita iunctis bellum cum Hisp. extra Europam praeoptant; sic enim brevi futurum, ut Rex Hispaniae, ad incitas redactus, invadatur quoque *in syne Perusche ende Nova Spanische Ryckdommen;* addunt commodum accidisse detectum Fretum *Maireanum*, cuius ope breviori via Hispanos elicere se posse sperant omni, quod ipsis in India Orient. adhuc superesset, *commercio*, NB. *namentlyck tusschen Aquapulco ende de Manilhas.*

His ubi adiungas, quae ad d. 24. April 1645. habentur *Consideratien van de Oost-Indische Negotianten, waermede d'Instructie voor de Heren Haer Ho. Mo. Plenipotentiarissen hier beverens gearresteert, sal worden geaugmenteert;* nihil amplius quidquam ab hac, credo, parte desideres.

CAP. VI.

Graves inde Belgarum querelae.

Haud ita pridem, a. 1786. revixit gravis illa Controversia. Negat Rex Hisp. hanc viam pactis esse contrariam; eandem sibi deberi libertatem ac reliquis GG. Europaeis; provocatque ad possessionem. Negant Belgae possessionem; maris libertatem haud inficiantur, nisi Pacta obstent; obstare autem Pacta, firmiter contendunt. Argumenta in utramque partem nunc publici iuris facta sunt (25).

Aliae Controversiae a. 1716.

§. CCCCXII. Aliud controversiae genus erat a. 1716. de caesis Lignis *Brasilianis* per Belgas nonnullos. Quod fieri, se conscius, negabant OO., qui sua vice de vi facta conquerebantur (26).

a. 1739.

Aliud exortum a. 1739. de clandestino Belgarum ad oras Hispano-Americanas (§. CCXCIII.) commercio.

a. 1747.

Habentur et Regis querelae (a. 1747—1752.) de illicita Societatis Or. Belg. navigatione ad oram meridionalem Novae quam vocant Hispaniae (*de Zuidkust van Nieuw Spanje*). Rem negabant OO. neque unquam hanc sibi mentem fuisse, neque esse, asserebant (27).

CVM AVSTRIACIS.

Austriacorum.

§. CCCCXIII. Non levius hoc seculo malum metuendum Belgis videbatur ab Austriacis ex Societa-

---

(25) *N. Nederl. Jaarb.* a. 1788. p. 1826. sqq. Cf. a. 1787. p. 64.

(26) LAMBERTY, *Memoir.* T. IX. p. 712, 715.

(27) *Nederl. Jaarb.* a. 1747. p. 840. *Recueil van Zeez.* T. V. p. 883. T. VI. p. 138, 647.

tate Indiae Orient. *Ostendana*, qui portus est Flan- CAP. VI. driae, olim Hispano, nunc Principi Auſtriaco parens.

Res ex pactis et actis cum Hispanis est repetenda. Belgio nempe ab Rege Hisp. a. 1598. in dotem dato filiae ISABELLAE, ſtipulatum est in Pacti Tabulis §. VIII. ut ne Hispano-Belgis navigatio neve commercia permittantur *in India Orient.* Per *Inducias* a. 1609. nihil in his immutatum, niſi quod ſua Reip. Belgicae asſerta ſit navigatio in India, exceptis locis Hispanis, niſi *permisſu* Regis. Mortua a. 1638. ISABELLA, hae Regiones Coronae Hispan. iterum annexae, et ſervata iura, quae antea Hispanus habebat, ſalvis *pactis*. Luſitanis autem et Hispanis a. 1640. iterum disiunctis, Hispanis manſit ſevera illa Navigandi lex, Luſitanos inter et Hispanos ſancita, de non navigando in Indiam Orientalem niſi per *Occidentem*. Vid. ſupra p. 381. Hoc rerum ſtatu Pax Monaster. §. V. definivit, non posſe aliter Hispanos, vel ulterius, *navigare* quam hactenus conſueverant. Attamen CAROLVS II. Rex Hispan. (28) a. 1698. Societatem in Belgio erigere ſatagens Privilegium dederat de navigando in Orientem per oras Guineënſes et Africam, et de colendo commercio iis in locis, quae aliae gentes non tenebant. Sed hoc cona-

---

(28) Idem qui (ut obiter hoc memorem) a. 1667. d. 3. Iul. privilegium dederat Hollandis Merces Ind. Orient. invehendi in Provincias Belgo-Auſtriacas; MABLY, T. II. p. 470.

CAP. VI. namen frustra fuit. Ea vero iura, quae Belgae ex Pace Monaster. habebant, denuo sancita sunt et confirmata cum Hispanis a. 1714. (n. 928.), nec non ex Federe cum Austriacis a. 1715. (n. 934.) cuius §§. I. et XXVI. Belgae, has Regiones Belgo-Hispanas ex Pacto tradentes (§. LXXXIV.), cum Imp. CAROLO VI. diserte convenere, ut has terras, earumque commercium ex omni parte et quidquid ab eo dependet, possideret, eo modo quo ipsas tenuerat Rex Hisp. CAROLVS II. eodemque pede, quo se habebat commercium ex Pace Monasteriensi. Et pro his ita obtinendis fidem suam interposuit Rex Gall., Articulo Pacis Traiect. separato (p. 181.).

Privilegium Ostendanum.

§. CCCCXIV. Vrgent tamen paullo post Flandri, et ab Imper. a. 1722. d. 29. Dec. ad 30. annos (n. 967. Cf. 963.) obtinent Privilegium *Societatis Ind. Orientalis.* Istud autem Privilegium omnes fere gentes Europae percelluit; varias animorum agitationes, controversias, scripta quamplurima, publica et privata, eaque perquam docta, peperit (29); gentiumque discordias, immo belli Eu-

Belgae, Angli, Galli, contraniuntur.

(29) Horum recensum dedi (n. 968, 970, 971, 974.) in iis autem eminent *Octo* Libelli memoriales (*Memorien*) *Societatis Ind. Orient.*, quorum summa capita referunt VALENTYN, *Oost-Ind.* T. I. P. I. p. 165. *Europ. Mercur.* a. 1723. P. II. p. 96—113, 149. f. *Hedend. Oost. Histor.* T. XI. p. 294. Sed maxime celebria sunt, ab parte Belgarum, scripta H. WESTERVEEN, Dissert. *de iure quod competit Socie-* *ta-*

Europaei metum concitavit. Aegre hanc Societatem ferebant Belgae. Conqueruntur hi graviter *Vien-* CAP. VI.

---

tati privilegiatae Belgii Feder. ad navigationem et commercia Indiarum Orient. adversus incolas Belgii Hispanici (hodie) Austriaci. Et altera eiusdem Disf. ad refutandas obiectiones aliorum, tit. *Tweede Vertoog van het Recht der O. I. Nederl. Compagnie tegen de Inwoners der Oostenr. Erfnederlanden, tot antwoord tegen den Heer* NENY, *op orde der Bewindhebbers.* J. BARBEYRAC, *Defense du Droit de la Compagnie Hollandoise des Indes Orientales, contre les nouvelles Pretensions des habitans des Pais-Bas Autrichiens.*

Ab altera parte scripta P. M. NENY, *wederlegging van de Argumenten, opgestelt van wegen de Heeren Bewindhebbers van de Oost- en West-Indische Compagnien der Vereen. Provincien, tegens de Vryheid van Commercie van de Inwoonders der Nederlanden, onderdanen van Zyne Keizerl. Maj. op verafgelegen plaetzen, op pretext van het 5de en 6de Art. van het Tractaet van Munster.*

DV MONT, *la Verité du Fait, du Droit & de l'Interest de tout ce qui concerne le Commerce des Indes, établi aux Pais-Bas Autrichiens par Octroy de sa Maj. Imp.*

Vindiciae luculentae Iuris ac Privilegii in Indias atque Africam navigandi, ibique commercia colendi Belgii Austriaci incolis novissime concessi cett. Leipzig 1724. 4to.

C. P. PATTYN, *Mare liberum ex Iure Naturae Gentium et Civili assertum vindicatum redivivum, regnante feliciter* CAROLO VI. *Caesare.* At hanc caussam et quaestionem multum differre ab illa, quam GROTIVS *de mari libero* defendit, ante me iam observarunt alii.

CAP. VI. *Viennae* (30); deinde etiam *Madriti* (n. 980.), indignabantur Galli, Angli, ipsi quoque Hispani. Rex Hisp. a. 1724. d. 26. Apr. per legatum suum Regi M. Brit. declarat, penitus illud adversari Paci Monast. (n. 972.) et cessioni Electori Bavar. factae (n. 896.), nec non Pacto OO. Fedd. cum Gallis, ex quo hae Regiones nomine Regis Hisp. per OO. Fedd. traditae sunt Domui Austriacae, ea interiecta conditione, ut maneret navigatio Indica quo antea fuerat pede, §. XXIII. Prohibent OO., ne quis Belga civis huic se Socium addat, vel opibus eam sustentet. Idem prohibent Galli, iuxta et Angli. Variae isto tempore concurrebant caussae *Politicae*, praeter eam, quae omnibus Gentibus communis est, rem nempe pecuniariam.

Etiam Hispani.

Cardo Quaestionis.

§. CCCCXV. Ipsa Quaestio vertebatur in eo, an salvo iure Belgarum Fedd. ex Pactis quaesito tale Privilegium dari posset? Haec Quaestio iterum pendebat ab praevia quaestione de vera mente *Pacis Monaster.* §§. V, VI. utrum nempe ista ratione restricta esset libertas; quae si restricta, an hac restrictione soli tenerentur Hispani seu Castellani, an vero omnes Regis Hispaniae tunc subditi, atque adeo Belgae (31). Excitabatur alia porro Quaestio,

(30) *Hedend. Oost. Histor.* T XI. p. 294.

(31) Perperam multi putant, Belgas, ut et Anglos, arcere velle gentes exteras ab navigatione et commercio in Indias. Longe aliter hi rem determinabant tempore IO. WITTII. Hoc quidem modo Hispani a. 1609. quaestionem considerabant. Fortasse et ipsi Belgae nonnunquam

stio, utrum Imperator teneretur iis, quae Pace Monast. erant statuta, an vero alio ex titulo has regiones teneret (32). CAP. VI.

§. CCCCXVI. Haec dum geruntur, Rex Hisp. mutata subito sententia, ecqua de caussa? promotore RIPPERDA, natione Belga, clam Fedus iniit cum Imper. CAROLO VI. a. 1725. d. 30. Apr. (n. 976.) quo liberam stipulabantur invicem Navigationem cis et ultra lineam Aequinoctialem, et *arcano Articulo* defensio Societatis Ostendanae sancitur. Simulque pangunt Fedus Commercii (n. 977.). Obstupuit Europa. Sollicitos in primis habet Gallos et Anglos. Opponunt hi cum Rege *Borussiae* Fedus

Rex Hispan. mutat sententiam.

Fedus cum Imp. a. 1725.

---

quam ita cogitarant. Sed longe secus hodie. Cf. J. G. BUSCH, Grundriss, p. 281. Sermo est de Pactis, non vero de *naturali* Maris Oceani *libertate* et navigatione. De *Tergestina* enim navigatione (*Triest*) nulla movetur quaestio.

(32) Praeter scripta supra laudata argumenta primaria in utramque partem paucis complexus est SCHWEDERUS, *Theatr. Praetens.* T. I. p. 156. Add. *Tegenw. Staat der Vereen. Nederl.* T. X. p. 396—476. WAGENAAR, *Histor. Patr.* T. XVIII. p. 265. sqq. et T. XIX. p. 48, 72. In partes hic etiam abeunt Germani. In his VON STEK, Versuch cett. SEMLER, die Geschichte der Ostendischen Handlung nach Indien — in der algemeine Geschichte der Ost- und West-Indischen Handlungs-Geselschaften in Europa. C. H. HAUSEN, Allerneüeste Staatskunde von Holland, etc.

CAP. VI. dus *Hanoveranum* a. 1725. d. 3. Sept. (n. 979.) cuius §. II. promittitur defensio intra et extra Europam. Robur id acquirit ex accesſione Reipubl. Belgicae a. 1726. d. 9. Aug. (n. 981.), dum separato Articulo Socii promittunt defendere Iura Belgg. Fedd. ex Federe Monaster. Accedunt *Sueci* a. 1727. d. 25. Mart. *Dani* d. 16. Apr. Rex Hispan. frustra se pacis intercesſorem offert. Contra Imperator nova conquirit auxilia, et arctius sociat Fedus cum *Rusſis* a. 1726. d. 6. Aug. et Regem *Borusſiae* abſtrahit ab Pacto *Hanoverano*. Parat Anglia clasſes adverſus Hispanos ac Rusſos, quarum prima in Americam, altera in mare Mediterraneum, tertia in Mare Balthicum. Creſcunt ſimultates. Alienantur Regis Hispaniae et Imperatoris animi ab Anglis. Oppugnatur Gibraltar. Omnia bellum ſpirant generale. Tandem vero Imperator, post multas tractationes et armorum apparatum cum Sociis Hanoveranis pactum iniit praevium, a. 1727. d. 31. Maii (n. 984.) quo *ad 7 annos* ſuspenditur istud de *Societate Ostendana* Privilegium. His ſeſe iungit Rex Hisp. d. 13. Iun. Vnde perculſa Societas ſubito collabitur. De exſequendis ſtipulationibus ſecreto agunt Ministri (n. 988.). Reliqua a. 1729. d. 9. Nov. (n. 991.) componuntur ex Federe Hispalenſi (*Traité de Seville*), inter Anglos, Gallos, Hispanos, in quo Rex Hispaniae §. III. declarat, non eam ſibi mentem fuiſſe, per Fedus a. 1725. quidquam praeiudicii adferre pristinis cum aliis GG. Federibus. Huic et Belgae d. 21. Nov. ſe iungunt, ea lege, ut illi Principes procurarent plenam *Societatis Ostendanae* abolitionem, ad eaque compellerent Imperatorem. Sic tandem Imperator, gra-

Fedus Hanoveranum a. 1725.

Mutua molimina.

Belli metus.

Imperator Societatem ſuspendit ad 7 annos.

Collabitur Societas ex Pactis a. 1727. et 1729.

graviora in favorem familiae fuae aucupans, permotus, a. 1731. d. 16. Mart. (n. 999.) ex Federe *Viennenfi* cum Rege M. Britanniae, confentit in plenam istius Societatis exftinctionem, promifitque, fe nullo unquam tempore aliam in Belgio erecturum vel permisfurum Societatem; pro quibus promisfis fua vice Imperator impetrat fideiusfionem Regis Angliae de tuenda *Sanctione Pragmatica*. Quae post paullo ulterius confirmata funt ex Feder. inter Imper., Angl. et Hispan. a. 1731. d. 27. Iul. Huic autem Pacto *Viennenfi*, fub iisdem ftipulationibus a. 1732. d. 20. Febr. (n. 1003.) accesferunt Belgae; eodemque Pacto fimul cum Imperatore convenerunt de rebus Indiae *Occident.* itidem ex Pace Monaster. obfervandis. Hanc deinde *Sanctionem Pragmaticam* in tuenda MARIA THERESIA, Augusta IOSEPHI et LEOPOLDI Impp. matre, reapfe Belgae fancte, fed fuo cum damno, vindicarunt adverfus Gallos.

CAP. VI.

Perimitur Federe Viennenfi a. 1731.

Etiam cum Belgis a. 1732.

Atque ita tandem ex Pactis univerfa de *Societate Ostendana* et navigatione controverfia exftincta est. Cesfare hinc debuit omnis Belgii Auftriaci navigatio et commercium in India. An cesfaverit? alia Quaeftio. Exftabant ftatim novae querelae (n. 1010.). Navigabant primo ad flumen Albim. Hodie publice navigatur, et, quanto id Reipublicae fit incommodo, docent Mercium invectarum Tabellae. Quod ad Belgas, IOSEPHVS Imperator, tempore turbatae Reipublicae, *Federe Viennenfi*, inter Anglos, Belgas, et Imper. fancito, amplius ftare recufavit: nec eius facta mentio est in *ipfo* Pacto a. 1785. d. 8. Nov. (n. 1246.).

Danorum. §. CCCCXVII. Dani navigationem suam in Indiam Orient. maxime acceptam referunt cuidam Hollando MARCELLO BOSCHOUWER. Is Belgicam navigationem et commercandi rationem edoctus, Danos adversus Belgas iuvans, insulam *Ceilan* tentavit; sed hi inde repulsi, in ora *Coromandel* Oppidum *Tranquebar*, deducta Colonia, condiderunt (33), quod adhuc frequentant. Litium inde natarum tentata definitio a. 1621. (n. 296.). Erecta tunc est Societas Hafniae. Alia deinde a. 1698. d. 29. Oct. Hoc labente seculo nova conamina, excitata nempe veteri Societate per Mercatorem quendam civem *Amstelodamensem*, I. VAN ASPEREN, in ius propterea vocatum et condemnatum; ea vero ex Hafnia translata est in Vrbem *Altonam* a. 1728., ac fundata, ruinis, ut ferunt, Societatis *Ostendanae* (§. CCCCXVI.). Sed adversus hanc non modo Belgarum, sed aliarum etiam gentium fuere conatus, consilia, querelae. Hae iunctis viribus Regi FREDERICO IV. suadent, nec tamen persuadent, ut revocet Privilegium. Eius Successor CHRISTIANVS VI. *Hafniae* rem promovit strenue, ita tamen, ut prohiberet, ne commercan-

(33) De Danorum Navigatione, Societate, et fatis VALENTYN, *Oud en Nieuw Oost-Indien*, T. I. P. I. p. 142. *Hedend. Oost. Histor.* T. XI. P. I. p. 19. sqq. Add. J. J. MOSER, Versuch, T. VII. p. 313. sqq.

candi causſa ad portus Anglos et Belgicos quis accedat (34). CAP. VI.

Aliae fuere de *Cabo Corſo Societatis* Belgg. *Occident.* et Africanae Danorum controverſiae. Sed hae a. 1666. (n. 576.) compoſitae; uti et a. 1673. §. XVI. (n. 658.). Dedit Rex FREDERICVS V. literas Privilegii, tit. *Geoctroyeerde Deenſche Guineeſche Compagnie*, a. 1765. d. 1. Nov., confirmatas ab Rege CHRISTIANO VII. a. 1766. d. 11. Febr. Vnde cum Belgis controverſiae. Ad manus ventum est a. 1776. Induciae per Gubernatores inter utramque Societatem a. 1778. d. 10. Febr. initae, ſub auſpiciis Regis Dan. et OO. ad duos annos continuatae. De Munimentis *Tesſy*, *Temma* et *Ponny* infra *Acra*, quae nupero in bello cum Anglis Dani ſibi vindicarant, nondum est transactum (35).

In India Occident. inde ab a. 1671. Dani ſuas habent Colonias, Inſulas *St. Thomae*, *St. Iohannis* et *St. Crucis*. De harum commercio denuo conſtituendo, postquam has Inſulas, aere alieno presſas, Rex a. 1754. ſuis adiunxit Domaniis, exſtant plu-

(34) Cf. K. G. GUNTHER, Europ. Völkerrecht, T. I. p. 281.

(35) De his loquuntur Acta et Decreta OO. GG. ſub a. 1781. d. 20. Apr., d. 3, 9. Maii, d. 31. Iul. et d. 9. Aug. a. 1786. d. 30. Maii, a. 1787. d. 19. Mart. a. 1788. d. 28. Ian. Decret. OO. Holl. a. 1780. d. 25. Oct. Et Libellus Memorialis *Legati* VAN DER GOES, a. 1786. d. 12. Oct.

CAP. VI. plura edicta, Belgis etiam creditoribus salutaria.

Mitto minoris momenti controversias de captis vel male habitis navibus, uti a. 1731. (n. 1002.) a. 1745. (36) a. 1785. (37). Res *Groenlandenses* et *Islandicas* dicam CAP. VIII. sub titulo *Piscaturae*.

CVM SVECIS.

Suecorum. §. CCCCXVIII. Recentior Suecorum in Indiam est navigatio. Sub GVSTAVO ADOLPHO res intra conatum stetit. Successit quodammodo sub CHRISTINA Regina. Ea in Indiam Occident. et Guineam Colonias deduxit. Ex *Nieuw Jersey* ab Hollandis sunt expulsi, et hi sua vice ab Anglis. Supersunt tamen illic *Suecorum* posteri. Bellis impediti coepta prosequi non valuere. Controversiae Africanae deinceps sunt compositae; et Rex a. 1667. d. 28. Iul. (n. 596.) §. V. renunciat omni iuri in Munimenta Africana, in ipsam etiam navigationem ad *Cabo Corso*, et aliorsum, compensando per summam *f* 350000. Damna vero §. VI. invicem in America illata ex iusto et aequo Hagae Com. decidentur. Alia composita a. 1673. §. III. (n. 655.).
Hoc seculo *Sueci*, missis belli studiis, super ruinis Ostendanae Societatis erexerunt *Gothemburgi* Societa-

(36) *Recueil van Zeezaken*, T. V. p. 342.

(37) Acta et Decret. OO. Holl. a. 1785. d. 11. Nov.

tatem Orient., quae Chinam viſeret. Datae ſunt literae Privilegii a. 1731. d. 14. Iun. (n. 1000.) diverſa ab reliquis ratione conformati, quod et aliis Gentibus exemplo proponitur (38). Vti cum aliis, ſic etiam cum OO. Belgg. re communicata, amice quidem et decenter reſponderunt OO., ſed isti, uti Rex rogaverat, conſilio favere ſe poſſe negabant (39). Ex duabus navibus in Chinam miſſis altera, redux, in Freto *Sunda* ab Societ. Belg. detenta, Bataviam deducta. Et qua de cauſſa? Dolet graviter Rex. Suo id iuſſu factum eſſe negant OO., negant Ind. Or. XVII—Viri. Reſtituta nave ceſſarunt querelae, et libere navigatur in Chinam. CAP. VI.

CVM BORVSSIS.

§. CCCCXIX. Inter omnes Germaniae Principes Elector Brandeburg., nunc Rex Boruſſiae, primus et ſolus commercium maritimum in terris extra Europam inſtituit per erectam *Embdae* a. 1681., ita ferente occaſione, Societatem Africanam. Excitatum illic *Groot Friderichsburg*; et initae cum incolis Conventiones; ſed graves inde Belgarum querelae, tandem controverſiae (40), quae tamen Pactis ſo- Boruſſorum.

(38) *Hedend. Oost. Hiſtor.* T. XI. P. I. p. 363.

(39) Cf. MABLY, *Oeuvr.* T. II. p. 469.

(40) PVFENDORF, *Rerum Brandeburg.* p. 1134. Hiſtoriam Expeditionis narrat LVDEWIG, *German. Princ.* p. 326. Cf. WAGENAAR, *Hiſtor. Patr.* T. XV. p. 114.

CAP. VI. sopitae a. 1685. et a. 1688. d. 6. Mart. Sed desiit ea Societas a. 1690.

Rex ipse Borussiae, hoc seculo Principatum Oostfrisiae adeptus, in urbe *Embda* erexit *Societatem Indiae Orient.* diversa ab ceteris ratione et lege, per Literas a. 1751. (n. 1093.) ac simul portum Embdanum *liberum* (*Porto Franco*) esse iussit, prohibita tamen omni ad oras GG. Europae in India Orient. et Africa navigatione. Res cum Anglis et Belgis communicatur (n. 1093.). Ad quae blanda exstant, etiam Belgarum OO., Responsa (n. 1100.). Minus prospere ea quidem cecidit, ac sponte collapsa (41). Nocuere tamen Belgis eius sequelae: de quibus CAP. VIII. Alia a. 1753. d. 22. Ian. Societas, quae recta contenderet in *Bengale* (n. 1101.), non melius successit.

Nihil cum his commune habet *Societas Maritima*, sub tit. *Zeehandelings-Societeit*, alio nempe inita *scopo*, et diverso sese modo sustentatura; sed neglectius ea habita est ab Directore, qui idcirco in ius vocatus et condemnatus est.

Aliud a. 1772. d. 14. Oct. successit Privilegium Societati Mercatorum exclusivum ad 20. annos BEROLINI (42), quae fortunam suam in Hispania et

---

(41) Ob rationes, quas refert V. D. ZIMMERMAN, Fragmente über Friedrich den Grossen, P. II. p. 53. adversus DENINA, *Essai sur la vie & le regne de* FREDERIC II. a. 1789. p. 73. sq.

(42) Sub tit. Patent wegen errichtung einer Zeehandlungs-

et quaquaverſum navigando experiretur, commoda vero primaria perciperet ex *ſalis* et *cerae* invectione et mercatura excluſiva. Prodiit eodem die Edictum Regium de *cerae* coëmtione et ſtapula. Spem etiam fecerant nonnulli ex ordine Ieſuitarum commercii apud Imperatorem *Chinenſem* promovendi. Spem vanam reiecit Rex Boruſſiae (43). Sed haec parum ad Belgas. CAP. VI.

---

lungs-Geſellſchafft, 4to. ſeparatim, et J. J. MOSER, Verſuch, T. VII. p. 381. ſqq.

(43) Rem narrat ZIMMERMAN, l. l. T. I. p. 191. ſq.

C A-

CAPVT SEPTIMVM.

SISTENS

MINORIS MOMENTI FEDERA, CAPITVLATIONES, ALIAQVE VARIIS DE CAVSSIS PECVLIARIBVS, CVM PACIS TVM BELLI TEMPORE, CVM GENTIBVS, AMICIS ET INIMICIS, CONSOCIATA.

CAP. VII. §. CCCCXX. Exhibui Federa *Pacis* CAP. III.; *Commercii* et *Navigationis* cum Gentibus Europaeis CAP. IV.; cum Gentibus extra Europam CAP. V. et VI. Superſunt alia (dantur enim varia Federum Genera; variaeque diviſiones). In his nonnulla obtinent *Pacis* tempore vel cauſſa, alia durante *Bello*.

Alia Pacta.

Pacis tempore.

Ad ea, quae Pacis tempeſtate vel cauſſa obtinent, miſſa Doctorum de his ſubtili magis quam utili disputatione, potisſimum refero:

FE-

FEDERA AMICITIAE. CAP. VII.

§. CCCCXXI. Federa *Amicitiae.* Haec fine duntaxat differunt ab Fedd. *Defensionis.* Neque alia fere stipulantur, nisi quae *Iuris* sunt *Naturalis* et *Gentium.* Cave tamen credas, haec mere inania esse, siquidem maxime faciunt ad determinanda officia *consuetudinaria*, quae *perfecte* alioqui non debeantur, et ab quibus non *semper* et quovis *casu* recedendi ius sit. Haec vulgo ineuntur, vel separatim tempore *Pacis*, vel ubi *Controversiae* sine armis componuntur, vel ipso *Pacis* Federe includuntur. Huiusmodi plura supra exhibui. In nupero *Pacis* Federe cum Anglis a. 1784. d. 20. Maii (n. 1233.), antequam a. 1788. arctius Fedus sociatum, et in Pacto cum Imperatore a. 1785. d. 8. Nov. (n. 1246.) nulla inest *Auxilii*, nec *Defensionis*, nec *Commercii*, sed duntaxat *Amicitiae* stipulatio. De *Turcicis*, dictum supra. Amicitiae.

FEDERA SOCIALIA.

§. CCCCXXII. Horum variae sunt species, prout variant modi, quibus gens genti auxilia ferre obligatur, sive ad tempus sive perpetuo, generatim vel speciatim, in primis per Federa (*Alliances*) *Defensiva*, etiam et *Offensiva* (44). Plurima post a. 1740. exempla suggerit I. I. MOSERVS, in his etiam *Belgarum.* Ex his saepe rogati sunt Belgae au- Socialia.

(44) De his generatim MARTENS, l. l. p. 211. sq. Ed. Gall. T. II. p. 369. sqq.

CAP. VII. auxilia; saepe rogarunt ipsi. Praesto sunt exempla, eaque passim CAP. III. recensui. Sed de iis quoque ortae quaestiones, in his vulgo primaria illa, quae et ipsa magnos saepe in Republ. fluctus excitavit, num exstaret *casus Federis.* Dantur Responsa *dubia*; *dilatoria*; *declinatoria*; et inde querelae rogantium, vel conceduntur sive *pecuniae* sive *Auxilia*, pro re nata, vel ex pactis, *maiora*, *minora.* His concessis, secuta interdum *Pacta* diserta, de Pace vel Induciis non ineundis nisi communi consensu, ab alterutra parte ex caussis vel *veris* vel *suasoriis* parum saepe servata. Etiam coniectiones de *modo* bellandi, de *praefectura*, vel *de communi opera* (*Plan van Krygs-Operatien*) vel Pacta de *dividenda praeda navali*; vel de aliis belli acquisitionibus, vel de navibus ab communi hoste captis recuperandis, et similia. Pace tandem sociata, quod superest, saepe ingens est *aes alienum*; ac de solvendis residuis querelae ac novae *Pactiones.* Exemplorum abunde est.

Sociorum Iura, *Officia*, et *Obligationes*, cum ratione eius, qui auxilium adfert; tum eius, cui auxilium ferendum; nec non ratione ipsius *hostis*, pendent vel ex Pactis, vel Consuetudine GG. vel aliunde dimetienda.

FEDERA SVBSIDIARIA ET STIPENDIARIA.

Subsidiaria. §. CCCCXXIII. Ab his distinguenda Federa mere *Subsidiaria* vel *Stipendiaria*; talia nempe, per quae Princeps, ante vel post belli casum, alteri Principi bellum non gerenti, pro copiis sibi praestandis, vel ad *tempus* vel ad *actum* quendam, vel in-

indefinite, se obligat ad solvendam certam pecuniae summam. CAP. VII.

Vbi Belgis opus est milite, ad omnes confugere solent Principes, maiores minores, potissimum vero ad Germanos et Helvetios. Ratio in promtu est. Non enim Belgica tot alit homines, quosque alit, hos Navigationi Mercaturae et Opificiis intentos, armis instruere non licet, multo minus, ex *Fed. Trai.* a. 1579., nisi in extremis angustiis, ad militiam cogere cives potest. Hinc Belgis maior id genus Pactorum est necessitas, quibus exteri Principes copias militares vel *alere* vel *praestare* pecunia promittunt. Origo in Belgio.

Sunt ea vel maxime temporaria, ac nominatim vulgo cavent de pecuniae summa, loco, ratione solvendi, de transitu, de modo serviendi et auxilii ferendi, de praefectis, functionibus, et de *iurisdictione militari*. Requisita.

Prostant talia ante Pacem Monaster. cum Gallis et Anglis. Adversus Gallos multa a. 1672. sqq. a. 1702. sqq. et a. 1746. sqq. Post Pacem Aquisgran. a. 1748. habentur cum Principe Bavariae a. 1750. Saxoniae a. 1751. Waldek a. 1777. Electore Colon., Episcopo Monasteriensi a. 1784. Brunsvico, Mecklenburg., Anspach, a. 1787, 1788. (n. 1167, 1236, 1260, 1262, 1265.). Exempla.

Huc in primis referenda Pacta, sive ut vocari solent *Capitulationes* cum *Helvetiis*. Horum est ea Regionis natura et situs, ea vivendi conditio, ut facilius *copias* militares ex Pactis pecuniâ alant, sive has in usum belli apud semet sive in ipsa Republ. Belg. servent. Nonnulla Helvetii cum aliis habent *communia*, nonnulla sibi *propria*; specialia prostant Cum Helvetiis.

CAP. VII. cum *Pagis Iuris Rhoetici*, (*les Grisons*, *Graaubunders*) et cum *Bernatibus*. Ab iis tamen nonnihil diversior ratio fuit *Federis Auxilii* et *Defensionis* cum Pago *Bernati* a. 1712. d. 21. Iun. et a. 1721. d. 8. Iun. (n. 899.) cum ulteriore eius explicatione ab parte OO. a. 1743. d. 25. Nov. (45). Exempla n. 623, 795, 836, 842, 848, 899, 915. De horum militum *reductione* plures in Republ. controversiae. Missa ad Bernates sollemnis de copiis legatio a. 1747. (n. 1051.).

Ex his Pactis insigne olim publici aerarii decrementum; crebrae etiam controversiae de *solvendis*, bello finito, debitis, cum Danis, Anglis, Suecis, Borussis, Austriacis. Taceo de difficili hodie militum exterorum conductione, etiam ex *pactis*.

Duo hic generatim observanda de *iure contrahentium* ratione *usus*, deque eo iure, quod hostis, adversus quem auxilia diriguntur, in eos inde acquirit. Non enim hodierno more auxilia hosti praestita statim alterum hostem faciunt. Multa alia hic cavenda.

FEDERA LIMITANEA.

Limitanea. §. CCCCXXIV. De re ipsa dixi abunde CAP. II. Limites constitui solent per Delegatos seu *Commissarios*, qui amice quaestiones componunt ex pactis, documentis, vel, si haec nihil determinant, arbitriis.

(45) *Groot Placaatboek*, T. VII. p. 233. De imploratis *Rhoetiis* a. 1746. ibid. p. 297.

triis. In his nihil magis necesſarium est quam ut accurate definiantur, ne qua discordiae ſemina *maneant*. Exempla in Pace Monaster., unde etiam nunc quaeſtio, et conventio de Delegatis capiendis ex Pacto a. 1785. (n. 1246.) cum Imper. In terris Transmoſanis haec nunc transacta (46). In Flandria et Brabantia hodie occupantur Commisſarii. Apud exteros hic loquantur limites Regionis *Canada* inter Gallos et Anglos ex Pace Aquisgr. et *Finlandiae* inter Rusſos et Suecos, ex Pace Aboënſi, non ſatis accurate definiti. CAP. VII.

FEDERA PERMVTATORIA.

§. CCCCXXV. Et de his multa CAP. II. cum Borusſis, Hispanis, Auſtriacis. Finis est, ut aboleantur vetusta postulata, vel evitentur quaeſtiones de terris inter ſe commixtis, vel alia ſequantur commoda, ſalvo iure *tertii*. De qua clauſula et querelarum inde materie p. 112. Taceo hic Donationes, Cesſiones, Testamenta, aliosque alienandi modos, de quibus adhuc ſermo in *Federe Traiect*. a. 1579. ſed quae tempore Systematis et militiae Feudalis etiam in Belgio magis in uſu erant (47) apud Principes Territoriales; quae tamen ne nimium invaleſcerent, Reges ac Principes ſeculo XIV. ſqq. cavere coe- Permutatoria.

(46) Decret. OO. GG. a. 1789. d. 26. Ian.

(47) P. J. NEYRON, *Principes du Droit des Gens Européen Convent.* P. I. p. 261.

CAP. VII. coeperunt sive *legibus* publicis, sive pactis conventis, sive privilegiis *de non alienando* (48).

FEDERA NEVTRALITATIS.

Neutralitatis. §. CCCCXXVI. Gentes, quae litibus et bellis alienis se non immiscent, vocantur in bello *mediae* vel *neutrae*. Sed per Pacta diserta etiam *neutras* sequi *partes* promittunt, idque variis *de caussis*. Hoc casu vocantur *Federa Neutralitatis*. Sunt ea vel generalia vel specialia; *generalia*, quae ad

(48) Olim nempe Reges et Impp. suis ex Domaniis terras vastas cum omni iure in alios conferebant: unde coörti tot minores Principatus, ipsumque Regnum CAROLI M. tandem in tot partes distractum. Ortum hoc illis ius esse videtur ex prima terrarum variis modis acquisitarum inter Regem et Populum Francorum Divisione vel Sortitione, pro sua cuiusque dignitate, ita ut ipsi milites *gregarii*, tamquam homines liberi, praedium omni censu *liberum* inde adipiscerentur. Vnde Reges sensu iuris Europaei *sua* sic dicta *Domania*, privati cives maioris ordinis *sua* quisque *alodia* seu *Dynastias* cum iurisdictione, reliqui *terras suas Salicas* sine iurisdictione, cum militandi tamen omnes obligatione, ex *sortitione* obtinuere. Quae terrarum Divisio ansam dedit pristino Systemati *Domaniali*; illud iterum progenuit Systema *Feudale*. Sed haec pluribus explico in *Prim. Lineis Collegii Diplomatico-Histor. Politici* §§. CXLIV—CCII. forte etiam ex Documentis et monumentis fide dignissimis ex professo ulterius probanda, si vita superfit.

ad omnia Principis territoria se extendunt, *specia-* CAP. VII.
lia, ubi tantum ad loca nonnulla v. g. ad *Belgium Austriacum*, ad Insulam in Belgio Feder. *Amelandiam* (§. CVII.). Plerumque ad *tempus* vel ad *actum* quendam sunt restricta. Quae *iura* hinc, quae obligationes tum GG. *neutrarum* tum *bella gerentium*? Spectari hic oportet ad *territorium*, ad *portus navales*, ad *commercia*, ad ipsa civium et Principum acta *neutra*. Sed de his CAP. VIII. exponam (49). Talia inire Federa Belgis familiare, et semper maxime commodum, id si fieri possit salva Federum fide. Exempla supra exhibita. Dantur hoc seculo insignia, cum Gallis a. 1733. et a. 1756. de quibus, antequam contraherentur, multi in Republ. fuere fluctus, et arcana gentium molimina. Post inita saepe de vera eorum mente vel extensione controversiae.

De *Neutralitate armata* dixi §. CCCXLIV. sub Russis.

§. CCCCXXVII. Sequuntur Pacta, quae *belli* potissimum tempore ineuntur. Hoc casu multa quidem cessant quae tempore *pacis* valent; alia durant; et idem conversa ratione. Antequam autem Gentes, ut laesa sua iura, sive vere, sive falso sic dicta, tueantur, ad arma provolant, (carent enim *iudice*) mitiores vulgo tentare vias assolent, certe oportet; idque per modum vel *Retorsionis* vel *Re-*

Pacta belli tempore.

(49) Interim vid. HUBNER, *de la saisie des bâtimens neutres*, et quos plures laudat MARTENS, *Prim. Lin. Iuris GG. Eur. Pract.* Ed. Gall. T. II. p. 378.

CAP. VII *Represfaliarum.* Quid hae differant, accuratius exponunt Scriptores.

Praecedit Retorfio. §. CCCCXXVIII. Quum vero *Retorfio* fit iuris naturalis Remedium, illud, tacite *Pactis* inclufum, fefe exferit per *Monita*, vel *Edicta*, Belgis cognita titulo *Retorfie-Placaten.* Variis autem modis, uti *violari*, ita *refarciri*, *ius imperfectum* potest. Exempla huius generis plura in Belgio proftant.

Represfaliae. §. CCCCXXIX. Cum eo ius *Represfaliarum* crebro commiscetur. Spectat hoc ad refarcitionem laefi *iuris perfecti.* Et diverfo regitur *fine*, fuosque habet *limites.* De hoc regundo, deque *utendi* modo, cavetur in Fedd. Gentium, in primis in *Belgicis.* Vfus istius iuris in Republ., privatis etiam civibus interdum, fed haud facile, ab OO. permisfus! Quas vero Regulas ac cautiones iam olim obfervatas volebat IO. WITTIVS, docent eius fcripta. Cum Gentibus Orae Africanae mediterraneae alia vulgo ratio initur (50). Ipfae *Literae*, quibus hoc tandem publica auctoritate permittitur, vocantur *Lettres de marque.* Et has concedit fupremus Maris Praefectus, Gubernator Belg. De quibus iam a. 1487. fub Principibus ex lege cautum. Extendunt fefe vel ad *perfonas* vel ad *negotia*, *naves*, *merces*, vel ad belli *ufum* et *rationem.* Nec non ad bonorum gentis alterius, etiam *privatorum*, detentiones five *Arresta.*

Belli indictio. §. CCCCXXX. Hac via frustra tentata, fi quod bel-

(50) Vid. *Groot Placaatboek*, T. V. p. 331.

bellum sequatur, ex *iusta* caussa, iustum (51), mos est Gentibus Europaeis, Bellum publice *indicere* (52), et per *Manifesta* sic dicta *bellica* caussas *bellandi* aperire. Nec mirum! Quo enim *bellum* formidolosius malum est; quo graviores belli declarati *sequelae*; eo magis horum, simul et neutrarum Gentium, ex hodierna *commercii* ratione, publice interest, nosse bellum; nosse belli *caussas*; belli *iustitiam*. Sed de his ac belli sequelis CAP. VIII. Hic *Pacta* persequor. CAP. VII.

§. CCCCXXXI. Indicto, vel durante bello, fiunt *Conventiones*, quae vel modum belli gerendi determinant, vel data occasione subnascuntur. Vulgare quidem est, *inter arma silent Leges*. Sed intellige *leges ordinarias et civiles*. Hostibus quoque suae sunt *obligationes*, sua iura; *Pactis* etiam sancienda. Pacta.

LIBERAE MERCATVRAE.

§. CCCCXXXII. Ad ea, quae modum determinant, praeterquam quae recensent alii, refero *Pactum* illud singulare, olim, immo hodiedum infre- De libera mercatura.

(51) Quod an *iustum* sit, decernit ipsa gens belligerans; iudicant vulgo illi, qui extra partes positi. Vix ulla enim moventur arma, quin *utraque pars* iusta ea esse contendat. Possunt etiam adesse caussae aliae *iustae*, aliae *moventes*. Sed hoc in fatis, ut iidem sint *effectus externi*.

(52) An iure GG. universali id necessarium, disquirunt DD.

CAP. VII. frequens, sed populis tamen ac privatis civibus *salutare*, de servando ac tuendo ex mercaturae favore, durante bello, omni *Commercio* et *Navigatione non armata*, ipsos inter cives ac subiectos Principum belligerantium. Huiusmodi fuit Fedus Gallos inter et Belgas sub CAROLO V. a. 1521. (n. 106.) inter *Belgas* et *Suecos* a. 1675. d. $\frac{16}{26}$. Nov. (n. 693.). Alia de his Gallorum conamina a. 1671. Idem *Pacis* etiam tempore nuper in antecessum stipulatus est Rex Boruss. cum Federatis Americanis a. 1785. §. XXIII. (n. 1242.).

PACTA DEDITICIA SEV CAPITVLATIONES.

Deditiones. §. CCCCXXXIII. Sic vocantur Pacta, quibus integri exercitus, vel pars copiarum, Regiones, Insulae, Coloniae, Munimenta, vel Vrbes hosti traduntur. Talibus Respubl. Belgica gloriari prae aliis potest. Profecto si pauca exceperis, illa praesertim, quae nuper, lacerante Rempublicam discordia, aliis sunt tradita; plura sibi semper Belgae per *Pacta dediticia* compararunt in *Europa*, *Asia*, *Africa*, *America*. Quid circa has *Capitulationes* iure gentium hodierno observetur, exponunt DE REAL et I. I. MOSERVS (53). Variant Con-

(53) DE REAL, *Science du Gouvern.* T. V. p. 586. et MOSER, Versuch, T. IX. P. II. p. 146. sq. Add. I. F. LVDOVICI *de Capitulationibus Bellicis*, Halae 1707. MARTENS, *Iur. GG. Pract.* T. II. p. 360. Ed. Gall.

Conditiones pro *locis*, *temporibus*, *perſonis* ſive *obſesſis* ſive *obſidentibus*, aliisque rerum *momentis*. De civium bonis *iuribusque* ſeparata vulgo est Tractatio. Variat etiam modus *ſecure* tractandi de ineundis his *deditionis* pactis. Quum autem haec Pacta abſente vulgo S. Imperante ineantur per Praefectos, quae Sponſionum nomine venire ſolent; his *tacita* certe ineſſe fides cenſetur: at quomodo? De *obſidibus* CAP. IX. CAP. VII.

DE REDDENDIS CAPTIVIS SEV CARTELS.

§. CCCCXXXIV. Sors bello captorum in Europa (uti etiamnunc alibi) olim fuit durisſima. *Vita* privabantur, vel *ſervi* fiebant; et qua tales vel retinebantur vel aliis vendebantur. Ex hoc *ultimo victoriae*, quod inter ſe vocabant, *iure* repetendum, quod hodie fit *Servorum* in *Africa*, *Commercium*. In bellis *Europaeis* mitior nunc captorum est conditio. Vel enim cum aliis captivis *permutantur*; vel ea redduntur lege, vel ut facta praeſtentur; vel dato vel non dato Lytro ſeu Redemtionis pretio; vel reſtitutis vel non reſtitutis expenſis pro alimentis vel custodia. Dimittuntur etiam *armati* certa ſub lege de *non militando*; quae lex vel privatis ſcribitur vel publice promittitur. Vnde a. 1745. controverſiae (n. 1043.). De his vulgo in *Pactis Dediticiis*, vel in *Pacis* Fedd. cavetur (CAP. IV.). Separatim vero ubi ineuntur ac durante bello, Gallis vocantur *Cartels*. Multa id genus proſtant nostris in bellis, cum Gallis, Anglis, aliis, a. 1673. (n. 659.), a. 1675. (n. 687.), De Captivis.

CAP. VII. a. 1690. (n. 777.). Ex his de modo *tractandi* facile ſtatuas.

DESERTORES ET TRANSFVGAE.

De Deſertoribus.

§. CCCCXXXV. *Deſertores* recipit vel *gens neutra*, vel *hostis:* posteriori caſu vocantur *Transfugae*. Prius etiam *Pace* obtinet. Gens amica *Deſertores* recipere potest, nec reddere tenetur, niſi *Pacta* iubent. Hinc ne licentiae fores aperiantur, plura, *Pacis* etiam tempore, Pacta Belgarum Conventa (itidem *Cartels* dicta) de tradendis Deſertoribus, vel transfugis, cum *Gallis*, a. 1718, 1767. cum *Anglis*, a. 1746. (54), cum *Suecis*, a. 1747. (n. 1052.), cum *Auſtriacis*, a. 1739. etiam de militibus *Dendermonde profugis* a. 1740. (n. 1021.), cum *Elector. Colon.* a. 1744. (n. 1040.), cum *Brunsvico-Luneburg.* a. 1745, 1746, 1748. d. 3. Apr. (55), cum aliis. Haud ita pridem, ubi Copiae Regis Borusſiae rebus turbatis Territorium Belg. intrabant, id genus Pacta inita ſunt cum OO. Gelr. et Traiect. a. 1787. (n. 1258.). Eadem valent in Clasſiariis; cuius rei varia exempla.

CONTRIBVTIONES BELLICAE.

De Contribut. Bellic.

§. CCCCXXXVI. Victor ab devictis ſuppetias ſibi ferri postulat, easque vel parata exigit pecunia, vel

(54) *Groot Placaatboek*, T. VII. p. 294.
(55) *Groot Placaatboek*, T. VII. p. 305, 368.

vel quibusvis aliis modis. Quod pecunia exigitur, CAP. VII.
vulgo audit *lytrum incendiarium*, *tributa* (Belg. *Brandschattingen*, *Contributien*). Vulgo hae eo petuntur colore, quod per ea redimi censentur *depraedationes* et *incendia*, aliis, *ipsae* privatae *occupationes*. Iure enim GG. Eur. non amplius valet generalis belli Regula: *capta victori cedunt*. Interdum haec *Tributa* pro imperio imperantur, interdum per *pacta* definiuntur; mox in *Pacis* secutae conciliatione agitur de *solvendis*, *redimendis*, *remittendis* eorum residuis (*Achterstallen*). Exempla in Belgio obvia (n. 784, 792, 876.). Quid moribus hodiernis Europaeis obtineat, exponit I. I. MOSERVS (56). In Actis publicis OO. GG. horum adhuc ratio habetur. Assignantur ad ea aliae pecuniae solvendae. Vnde explicanda stipulatio §. XIX. Fed. a. 1715, 1718. cum Imperatore, et Pactum a. 1785. §. XXVI.

A R M I S T I T I A.

§. CCCCXXXVII. Conventiones de *Induciis* Armistitia.
fiunt vel ad breve aliquod tempus, inter ipsos copiarum Praefectos; ad *horas* interdum, pro sepeliendis occisis; ad *dies* pro apportando Commeatu, vel permutandis captivis (n. 1060.) et similia. Vulgo *Armorum suspensio* vel *Armistitium* vocantur. Vel ineuntur ad longius tempus, *definitum*, v. c. ad 6 hebdomades, 8 menses, integrum annum.

---

(56) Versuch, T. IX. L. XVIII. C. VII. p. 361. sqq.

CAP. VII. num. Quod si longius extrahantur, vulgo *Induciae* (*Bestand*, *Trêves*) dicuntur. Sunt vel generalia vel specialia. Memorant et haec Belgarum Annales. Ad rariora refer *Inducias* ad 12. annos, inter Belgas et Hisp. a. 1609.; deinde prorogatas; et inter Gallos, Hisp. et Imper. ad 20. annos a. 1684. (§. CLXVI.). Quid circa haec moribus in Belgio obtineat, vel observari debeat, satis ipsae docent Tabulae.

Quam facile vero inter socios possit eludi stipulatio, ne quis invito vel inscio altero *Inducias* ineat! experta saepe, ac nuper! suo damno est Respublica. Turcarum legibus moribusque quae olim obtinuerunt, ea hodie paullatim missa facere videntur Turcae. Quid in ipsis *Pacis* Federibus ineundis observari soleat, vid. CAP. IX.

CA-

CAPVT OCTAVVM.

SISTENS

PECVLIARIA ET SINGVLARIA ALICVIVS MOMENTI CAPITA ET ARGVMENTA, QVAE IN BELGARVM POTISSIMVM FEDERIBVS OBSERVATV DIGNA, ET REIPVBLICAE PRAE ALIIS GENTIBVS, AD PROMOVENDA CIVIVM COMMODA AC TRANQVILLAM MERCATORVM NAVIGATIONEM, PISCATVRAM, MERCATVRAM, COMMORATIONEM APVD EXTEROS, QVAM MAXIME CVRAE CORDIQVE ESSE SOLEBANT, VEL SOLENT ADHVC.

§. CCCCXXXVIII. Vti cuilibet genti, ita Reipublicae Belg. ſui ſunt mores peculiares, ſua inſtituta, Leges, ac Prudentiae Politicae regulae et praecepta, quorum alia Pactis cum exteris nituntur gen- CAP. VIII.

CAP. VIII. gentibus, et pro Gentium indole et diversitate variant; alia, ubi Pacta silent, Iure Gentium Europaeo in Belgio valent; alia naturali ratione reguntur, praecipiuntur, permittuntur; quae tamen posteriora, pro variis, quae ipsae Gentes sequuntur vel applicant, Principiis, largam saepe controversiarum materiem dare solent; quae ut Pactis determinentur, sana ratio suadet, et ipsa Salus Gentium Europ. publica, tum et potissimum Reipublicae rationes, exigunt.

Inter illustres quammaxime caussas, quae huc pertinent, eminet illa, quae ex ipso *Belgio* originem traxit, praesertim cum *Anglis*; nempe

N. I. DOMINIVM ET LIBERTAS MARIS.

Maris Dominium. §. CCCCXXXIX. Orta est Belgarum de *Mari* Controversia ex alia de libera ad oras alienas *Piscatura*. De qua N. II. Habuit *Maris Dominium*, *Imperium*, et *Libertas*, suos in utramque partem insignes ac doctos *patronos*, qui vel de industria vel oblata occasione amplos de ea Commentarios ediderunt. Quanto cum ardore Angli olim *Maris Dominium* propugnaverint, dicere non attinet.
Scriptores. Scriptores in utramque partem recensere, longum est (57). Hodie vero, adhibitis nonnullis *distinctionibus* ac *temperamentis*, quantum certe, ad iuris

(57) Vid. MARTENS, *Iur. GG. Eur. Pract.* Ed. Gall. T. II. p. 186. sqq.

ris naturalis et gentium publici rationem, nullius fere momenti posſit videri quaestio. CAP. VIII.

§. CCCCXL. Misſa igitur hac disceptatione, quae Iuris Publici DD. est; Belgarum interest, disquirere, Res Belgarum.

I. Quid Iure Gentium Europaeo cummaxime obtineat. De quo potisſimum agunt VV. DD. MARTENS (58) et NEYRON (59).

II. Quae Diſtinctiones ac Regulae, circa mare, maris partes, earumque uſum, hodie obſerventur. In quibus maxime ſpectatur 1. ad ipſum Oceanum ſeu vastum mare, in primis *Indicum*; de quo olim inter *Luſitanos* et *Hispanos* (§. CCCCXI.); deinde inter *Luſitanos* et *Belgas*, quo pertinet Liber H. GROTII *de mari libero*; 2. ad partes Oceani maiores minoresve. De quo praeſertim inter Anglos et alias Gentes. 3. Ad partem maris vicini vel circumflui; et diverſas distantiae determinationes. Quod uſum ſuum maxime exſerit, in triplici caſu, in *bello*, in *piscatione*, et mercium *defraudatione*. Et unde etiam *Belgarum*, cum *Anglis*, *Hispanis*, et *Danis* controverſiae. 4. Ad partem maris vel ſinum aliquem Territorio incluſum. Vnde olim inter ipſas provincias Belgicas de Mari *Auſtrino* (*Zuiderzee*) controverſiae. De Mari *Balthico*, ceu mari clauſo, ac propterea pacis tempore cuivis genti libero, inter GG. hodie cautum. Denique 5. Ad *freta* duas

(58) Ibid. L. IV. Cap. IV.

(59) *Principes du Droit des Gens Europ. Conventionel*, P. I. p. 237. ſqq.

CAP. VIII. *duas* inter regiones posita, sive unius sive duorum principum. De quibus varia memoranda.

III. Ad diversos effectus *Dominii*, *Imperii* et *Libertatis*, spectare etiam Belgas oportet. Hi potissimum sese exserunt in *libera navigatione*, *piscatura*, *vectigalibus*, *habendis honoribus*, et *servandis gentium legibus*.

IV. Observandae et hic sunt nonnullae, quae inter alias GG. hactenus supersunt, controversiae, e. g. cum *Venetis*, *Genuensibus*, *Gallis* et *Anglis*, ab anno 1635. et adhuc a. 1751. agitatae, cett.

V. Denique Belgarum refert, spectare ad sua ipsorum de his *Pacta* et *Controversias*!

Post GROTII Librum, cum *Lusitanis* nulla de maris *Indici* libertate superest Quaestio.

Cum *Hispanis* de ipso *Mari libero* non est disputatio, sed *de mari pactis* clauso (60).

Cum *Gallis* olim de mari mediterraneo.

Cum *Danis* de oris *Groenlandiae*, *Yslandiae* et *Ferroë*, et captis illic a. 1739. quatuor Belgg. navibus; porro de freto olim *Oresundico*, et de *Salutatione* ad arcem *Cronenburg.*; de qua infra.

Cum *Anglis* denique maiores fuere aestus. Remunerati sunt a suo quisque Principe utriusque partis scriptores SELDENUS et GRASWINKELIUS. Brevem huius de *maris Dominio* cum *Belgis*

---

(60) De qua re supra dictis p. 386. add. Dissert. THEOD. GRAUER, *de mari libero pactis clauso*, Trai. ad Rhen. 1728. laudata NEYRON, l. l. p. 239. Cf. MARTENS, *Iur. Gent. Eur. Pract.* p. 111.

gis controverſiae Hiſtoriam et utriusque gentis argumenta enarrant alii (61). Ex pactis vero cautum est de Salutatione per mare; quod Angli agnito ab Belgis Maris Dominio, Belgae vero honori habendo adſignant, de *Dominio* negant. De quo N. XII. CAP. VIII. N. I.

LIBERA PISCATVRA. N. II.

§. CCCCXLI. Inter fontes, quibus ditatur Respublica, haud infimum locum obtinet *Piscatura*. Triplex autem Belgis est Piscationis ſpecies; *Maior*, *Borealis*, et *Minor*. Piscatio.

§. CCCCXLII. *Maior* est *Halecum*. Quae antiquisſima est Belgarum vitae *ex mari* ſustentandae ratio. Huius noſſe *originem*, *hiſtoriam*, *iura*, *leges*, *posſesſionem immemorialem*, *modum* piscandi, *amplitudinem*, *commoda*, *incrementa*, iuxta ac *decrementa*, eorumque cauſſas, permultum interest. Non ſine ratione haec *maior* vocatur! Fiebat per Mare Septemtrionale, ab primis retro temporibus, ita ut iam a. 1295. piscarentur Hollandi ac Zeelandi ad oras *Angliae* prope *Iarmouth*. Quantopere au- Halecum.

(61) SCHWEDERVS, *Theatr. Praetenſ.* T. I. p. 313. PLOOS VAN AMSTEL, Disſert. *de iure Commercii, quod Gentibus in bello mediis competit*, Leid. 1759. J. J. MOSER, Verſuch, T. V. p. 474—484. Add. WAGENAAR, *Hiſtor. Patr.* T. IX. p. 318. T. X. p. 42, 307. T. XI. p. 259. T. XIII. p. 21, 29. T. XX. p. 107. Multa pasſim JO. DE WIT, *Brieven.*

CAP. VIII. N. II. autem haec Belgis curae fuerit, docent multa de ea tuenda Pacta cum *Gallis*, cum *Anglis*, ante liberam Rempubl. a. 1468, 1474, 1478. 1496. etiam de mutua *piscandi* Libertate *conservanda*, durante inter ipsos Principes bello a. 1521, 1525, 1675. d. 17. Aug. Sub libera tamen Republica Angli deinceps hanc Belgis dubiam reddere, ab eaque hos prohibere, conabantur, non modo ad oras *Scotiae* et *Angliae*, sed per ipsum etiam Mare *Septemtrionale*, innixi *maris*, quod vocabant, *Britannici Dominio*. Vlterius processit Rex Angliae post editum *Seldeni* librum, quippe renovatis a. 1636. d. 10. Maii, *Edictis* prohibitoriis, omnem *ad oras M. Brit.* piscaturam, antea fieri solitam, vetuit, nisi solutâ *Decimâ* loco Vectigalis, vel impetrata ab Rege *facultate*; missaque simul classe postulatis robur addebat. Ordines vero armata etiam classe ius suum defenderunt. Ortis interim in Anglia turbis civilibus sub CAROLO I. quievit ista controversia. Caussam suam OO. edito quoque scripto egerunt, innixi 1. Maris Libertate, 2. Pactis cum Anglis, 3. Possessione immemoriali. Hodie aliter sapiunt gentes, quamquam a. 1786. nova de piscatura ad *Scotiae oras* contentio agitari visa est.

Quantum Belgae ex *piscatione* lucrentur, certe olim lucrati sint per commercium piscium, etiam cum Flandris, Germanis, Russis, Gallis, Anglis, Austriacis, antequam aliae gentes, Belgarum aemulae, eadem sectatae sunt commoda, hic non referam. Illam avertendi conamina per leges, in primis Anglorum, a. 1749. ansam sua vice dederunt severis OO. GG. Edictis prohibitoriis et exhortatoriis. Cum Gallis ex Fedd. cautum erat olim, et nominatim

tim quidem de mutua piscatione ad oras Belgicas et Anglicas iuxta *Iarmouth.* Sed cesſante *Commercii* Federe, aliae initae ſunt rationes, Belgis minus proficuae, a. 1758, 1786. Ex collapſa Borusſiae Societate *Embdana* (p. 398.) obſervante STECKIO p. 137. remanſit halecum piscatura et commercium, Belgis damnoſum. Praeclara est OO. cura in praemiis decernendis et vectigali remittendo, ad acuendam piscatorum induſtriam. Tempus inchoandae *piscationis* Leges definiunt. Olim etiam Pactis cum Hamburgenſibus de hoc cautum. De quo quid Angli apud *Hamburgenſes* a. 1711, 1716. conati ſint, refert VON STECK (62). Piscatus curam gerit Collegium quoddam, cui nomen *Commisſarisſen van de groote Visſchery.* CAP. VIII. N. II.

§. CCCCXLIII. Alia est *Piscatio Borealis*, ſive *Balaenarum*, vulgo *de Noordſche Visſchery, of Walvischvangst.* Huius *originem*, progresſus, vigorem, commoda, ac *momenta*, et decrementa, eiusque iterum excitandae ſtudium recenſere, non huius est loci. Eius momenta ſimul et decrementa aeſtimes ex eo, quod ſola olim Hollandia plura navigia piscatum mitteret quam omnes ſimul Europae gentes. Nunc vero ſcena mutata plura ſoli Angli. Non mirum igitur, quod Belgis prima aetate data fuerint Privilegia excluſiva, et erecta Societas, tit. *De Noordſche Visſchery of Compagnie* a. 1614. (n. 276.) a. 1617, 1622, 1633. ſed ab an- Borealis.

(62) Verſuch, p. 114. ſq.

CAP. VIII. N. II. anno 1645. omnibus civibus penitus libera sit piscatio, nunc praemiis animanda.

De exercendo hoc piscatu *graves* nonnunquam cum *exteris* gentibus intercesserunt controversiae. Et 1. cum Anglis a. 1613. sqq. 2. cum Danis a. 1635. et 1638. 3. cum Gallis a. 1661. Deinceps iterum cum Danis a. 1740. post erectam a. 1733. d. 23. Apr. ab his Societatem, et prohibitum aliis intra *quatuor* milliaria accessum ad oram Islandicam etc. Quae caussa Gallis et Anglis cum Belgis communis acta a. 1740. Nitebantur Belgae 1. Libertate maris. 2. Variis Federibus. 3. Quieta possessione iam ante liberam Rempubl.; negabantque, posse Regem ex edictis pro arbitrio extendere ius litoris in fraudem gentium amicarum; quae vero obmoverentur, parum ad rem facere. Offerunt OO. amicam conventionem de constituendo intervallo ad Insulas; moderantibus RR. Gall., Angl. et Russiae. Offert Rex Sueciae suam intercessionem, cett. (63). Revixit controversia a. 1776. ex Edicto Regio (n. 1164.) de prohibita navigatione ad Fretum *Davidicum* et *Groenlandiam*, et captis duabus navibus; an haec quodammodo sopita (64)? Quanti autem Reipubl. Belg. intersit, hanc tueri Libertatem, ac simul piscandi excitare industriam, do-

---

(63) Documenta, quae huc faciunt, habentur in *l'Etat Politique de l'Europe*, T. IX. p. 114. sqq.

(64) Cf J. J. MOSER, Versuch, T. VII. p. 678. sqq. et MARTENS, *Iur. GG. Eur. Pract.* Ed. Gall. T. I. p. 200.

docent OO. Edicta, et alia iuvandi conamina, ne omne tandem lucrum per aliarum gentium aemulationem ab Republ. Belgica avertatur (65). CAP. VIII. N. II.

Minor.

§. CCCCXLIV. *Minor* Piscatio, quae aliis *Doggervaart*, (ab voce *Dogge*, asello marino, et unde nomen Breviarii *Doggersbank* et *Doggerzand*) quae et minores pisces complectitur; est ea Belgis satis proficua et quieta. Legibus domesticis regitur, quales iam ab CAROLO V. a. 1545. d. 30. Sept. et ab OO. a. 1687. latas, deinde neglectius habitas, sunt qui censeant doleantque.

LIBERTAS NAVIGANDI ET COMMERCANDI NATVRALIS.

N. III.

Libertas naturalis.

§. CCCCXLV. Plena vasti maris est Libertas; libera iccirco illic Navigatio et Commercia; nullisque ea circumscripta limitibus (66); extensa quoque ad ipsa territoria, etiam ad hostes alterius, tempore belli; neque ab his *merces* quidem, iure gentium hodierno *vetitae*, excipiuntur. Sed e contrario cuivis etiam genti liberae facultas est ac libertas, pro iure civitatis, restringendi vel *suam ipsius libertatem*, vel *gentis alterius*, *suo in* territorio, vel *per suum* territorium; cum *pace* tum *bel-*

(65) *N. Nederl. Jaarboek.* a. 1777. p. 405. sqq. E. LUZAC, *Holl. Rykd.* T. II. p. 277.

(66) GROTIVS bonam caussam pessime, SELDENVS malam optime defendisse, censetur HVBNERO, *Saisie des Bâtimens neutres*, T. I. p. 50.

CAP. VIII. *bello*; five *Pactis*, five *Edictis*; etiam *pleno* in
N. III. mari.

Ex his inter se prima specie oppositis profluit, nullum ius *perfectum* esse genti in gentem, *exigendi* hoc exercitium Libertatis in ipsius Territorio; nisi quatenus de ea vel *Pactis*, vel *Observantia* secus sit constitutum. *Per haec* autem vel *pleniori* isti *Libertati* multum derogatur, vel e contrario, pleniori Gentium hanc restringendi *facultati* pro suo iure limites ponuntur (67). Sed an haec omnia iure vel usu Gentium Europaeo hodierno etiam valent?

N. IV. LIBERTAS NAVIGANDI ET COMMERCANDI IVRE GG. EVROPAEO, PRAESERTIM TEMPORE BELLI.

Libertas Europaea. §. CCCCXLVI. Ex usu Europaeo *hodierno*, sat generatim recepto, duo haec Principia obtinent:

1. „ *Sit*

(67) Digni sunt qui de hoc argumento legantur VON STECK, Versuch, p. 180. sqq. HUBNER, *la Saisie des Bâtimens neutres*, a. 1759 II. Voll. 12mo. *La Liberté de la Navigation & du Commerce des Nations neutres pendant la Guerre*, a. 1780. 8vo. Belg. *De Vryheid der Scheepvaart en des Koophandels der onzydige Volken in den Oorlog, volgens het algemeene, en Europ. Volksrecht, als ook naar de Verdragen beschouwd*, a. 1780. 8vo. p. 28. sqq. Add. MARTENS, *Iur. GG. Eur. Pract.* p. 221. K. G. GUNTHER, Europäisches Völkerrecht, a. 1787. T. I. p. 280. sqq.

CAP. VIII. N. IV.

1. „ *Sit libera inter Gentes Navigatio et Commercium*, salvo singulis iure statuendi de commodis suis; nisi *ex Pactis* prohibeantur."

Duae Navigationis et Commercii regulae.

2. „ Sit libera gentium *neutrarum* cum hostibus alterius *navigatio* et *commercium*, *durante inter hostes bello*."

§. CCCCXLVII. Admittuntur tamen hic duae *Exceptiones* sive *Limitationes* primariae, praeter illa, quae *Pactis* vulgo accuratius determinantur:

Exceptio:

1. Loca obsessa.

Prima Limitatio est in *locis obsessis*; unde haec Regula: *Merces quascumque sine discrimine ad loca vel portus ab hoste obsessos ne gens neutra advehat*.

Nititur haec et naturali ratione, et usu recepto. Quid vero pro *obsesso loco* haberi debeat, crebra olim controversiae materies. Hinc plerumque per *Federa Commercii* accuratius de his statui ac definiri solet. Etiam in Belgicis prospectum. Omnium accuratissime nuper in Federe *Neutralit. armatae*, Russos inter ac Danos aliasque Gentes socias a. 1780. d. 21. Iul. §. IV. et a. 1781. d. 5. Ian. §. III. etiam cum Republica (68).

Neque sic tamen caveri potuerant fraudes et querelae Gentium, etiam apud OO. Fedd. An contra haec peccatum in Federe Angl. et Belg. a. 1689. (n. 770.)? His medela adfertur, vel satisfaciendo, vel prohibendo, vel aliis modis. Vnde

---

(68) *N. Nederl. Jaarb.* a. 1780. p. 1057. a. 1781. p. 586.

CAP. VIII. N. IV. de repetenda tot OO. Belg. Edicta inde ab a. 1630—1779. in primis de non adeundo portu obsesso *Gibraltar*, a. 1779. d. 31. Dec. (n. 1184.). Exstant etiam Gentium exterarum, in his memorabile Regis Hisp. *Edictum* a. 1780. d. 30. Mart. (n. 1183.).

II. Merx vetita. Altera Limitatio est in *Merce Vetita*; unde haec Regula: *Ne qua iure GG.* VETITA, *sive tales merces bellicae, quae pro* VETITIS *habentur, hostibus advehantur ab gente neutrâ.* Vocantur vulgo *Contrabanden.*

Et hanc niti naturali ratione, ex Legibus *Neutralitatis* derivat HVBNERVS; negant tamen alii (69). De his autem, post discrimen Gentibus semel admissum inter *licita* et *illicita*, creberrimae controversiae, quousque nempe se extendant vetita, et quid in his obtineat. Omnes enim Merces ad tres *species* redigi posse videntur, quae sola pace, quae solo bello, quae belli pacisque tempore usui esse possint. In his determinandis variarunt saepe tempora, Gentium opiniones, et bellica ratio. Iccirco semper fere *Pactis* cavere oportet. Sed *variant* ipsa saepe Pacta; variat et Pactorum ex-

(69) Exstant de his Dissert. doctae HEINECCII, *Opp.* T. II. p. 310. Exerc. VIII. *de navibus ob vecturam mercium illicitarum commissis.* PLOOS VAN AMSTEL, Dissert. *de iure Commercii, quod gentibus in bello mediis competit*, Leid. 1759. IO. BARTOLDI, Dissert. *de Iure et Officiis eorum, qui neutras partes in bello tenent*, Traiect. ad Rhen. 1764.

explicatio pro diverſa Gentium *conditione*, *aetate*, et *commodis*. CAP. VIII. N. IV.

Origo et Hiſtoria invecti discriminis inter *licita* et *vetita*, antequam *per Federa* cautum est, hic attendi meretur. Omnis olim res ab Legibus pendebat. Romanis nulla hostilia, immo ne *commeatum* quidem et *annonam* ad hostes vehere fas erat. Valebant olim et in honore habitae *Leges Rhodiae*, *Conſulatus Maris* (70), *Leges Oleron*, *Wisbuicenſes*, aliaeque, quas inter haud exiguum hodie locum merentur *Leges* Belgarum *navales* ſeu *Maritimae* (71). Ex isto Legum rigore primis navigationis ſeculo XVI. increbreſcentis initiis plurima in Leges Gallicas aliasque translata. Hinc multa quoque Federa *Vetitis* olim accenſebant, quae postea temporis, ex Libertatis favore, ad *licita* relata ſunt. Ita paullatim coarctata est *Mercium Vetitarum* ſpecies, eaque nunc fere redacta ad ſola *Arma*, et ea, quae *uſum* belli *directum* praeſtant; cui argumento explicando ſummopere faciunt Belgarum Federa cum RR. Hispaniae a. 1650. §. VI. a. 1714. §. XXXIII. Galliae inde ab a. 1662. Hiſtoria. Belgarum de his Federa.

---

(70) Titulus Libri: *Conſolato del Mare*, ab ſec. XI. famoſi, quem Belg. verſum edidit ICtus celeber ABR. WESTERVEEN, Leid 1704. in 4to.

(71) Quo pertinet in primis Collectio legum maritimarum, tit. *Recueil van alle de Placaten, Ordonnantien, etc. betreffende de Admiraliteyten, Convoyen, en verdere Zeezaken*, a. 1730. ſqq. XI. Voll. 4to.

CAP. VIII. N. IV. a. 1662. usque ad a. 1739. §§. XVI, XVII. Angliae a. 1625. §. XX. a. 1668. §. IV. a. 1674. §§. III, IV. a. 1713. §§. XIX, XX. Daniae a. 1701. §. XIII. Sueciae a. 1667. §§. III, IV. a. 1675. §. III. a. 1679. §. XV. Siciliae a. 1753. §§. XXI, XXII. et nuper cum federatis Anglo-Americanis a. 1782. §. XXIV. (n. 1218.).

Controversiae. §. CCCCXLVIII. Haec tamen non impediverunt, quo minus, exorto inter Gentes bello, ex Legibus harum navalibus, vel aliis ex caussis, graves moverentur Belgio controversiae. Sic in bello Anglorum cum Gallis navali, contra diserta Federis verba, a. 1756. Angli ad vetita referre Trabes et ligna navibus struendis idonea; soluto certe pretio sibi vindicare, volebant; idque ex caussa necessitatis excusabant; pace facta subsederunt lites, malo deinceps omine refricatae; unde infausti nuper belli si non caussa, certe ansa! Sic orto haud ita pridem inter Russos ac Suecos bello, quum Rex Sueciae, eodem fere quo a. 1741. modo, Lege Navali a. 1788. d. 8. Iul. *pecuniam* Vetitis accensuisset, et naves Belgarum hoc nomine apprehensae essent; doluerunt OO. non modo illud esse adversus pristina Federa, sed et hodierno Gentium iuri ac Legibus *Neutral. armatae* penitus contrarium (72); iustisque querelis morem gerere non detrectavit Rex iustus. In Federe cum R. Siciliae §§. XXI, XXII. ceteroqui satis absoluto, *diserta Ligni navalis* mentio facta non est; res ipsa tamen docet. Observanda hic sin-

(72) Decr. OO. GG. a. 1790. d. 14. Maii.

ſingularia quaedam in Pactis prioribus cum Suecis a. 1614. §§. v, vi. (n. 278.) a. 1640. §§. v—vii. (n. 368.), cum Luſitanis a. 1661. §. xii. (n. 526.). CAP. VIII. N. IV.

§. CCCCXLIX. Idem ſectantur principium aliae Gentes. Sic Galli cum Americ. a. 1778. §. xxiv. (n. 1169.) ab *vetitis* ſeparárunt quaevis etiam *armamenta* NAVALIA et *materiem* navalem. Potisſimum vero, postquam ex Federe *Neutralit. Armatae* a. 1780. (n. 1193, 1194.) nulla alia admisſa ſunt *Vetita*, niſi quae vel diſerte in Pactis ſunt expresſa, vel quae uſum belli *directum* habent. Quo fundamento nituntur hodierna Federa Rusſorum cum Danis a. 1782. §. xxi. (n. 1220.) cum Gallis a. 1787. d. 11. Ian. §. xxix. cum Siculis a. 1787. d. 6/17. Ian. §§. xxii, xxiii. (73). Quin Mercaturae favorem ac libertatem longius extendit Rex Borusſ. cum Anglo-Americ. a. 1785. d. 10. Sept. §§. xii, xiii. (n. 1242.) quippe qui *vetita* ad ſola *arma* et inſtrumenta bellica referens, ne ea quidem *confiscationi* ſubiecta voluit, ſed ſtipulatus est, ut, ſi qua navi neutra reperiantur talia, ea tamdiu duntaxat detineantur quamdiu detentori id necesſe videatur, facta damni reſarcitione, vel ut dato pro iis volenti iusto pretio vindicentur. Plenior ab Vetitis est exceptio in Federe Gall. cum Anglis a. 1786. d. 10. Nov. §§. xxii, xxiii. (n. 1252.). Sed quid ſi de his penitus Federa deſint, ut hodie Belgarum cum Gallis et Anglis res est, ſi quod forte exterum bellum oriretur?

Aliorum Federa.

LI-

---

(73) Habentur duo haec Federa apud Mr. DE STECK, *Esſai ſur les Conſuls*, p. 182. et 265.

CAP. VIII. N. V. LIBERTAS VEHENDI MERCES CETEROQVI LICITAS, EARVMQVE CVM NAVIBVS NEXVS, TEMPORE BELLI.

Navigatio. §. CCCCL. Fit Navigatio et Mercium transvectio:

1. Inter ipsos hostes.
2. Inter gentes in bello medias.
3. Inter has et belligerantes.

Pro triplici hac distinctione triplex est Navium Merces vehentium, ipsarumque Mercium, cetera licitarum, contemplatio.

Inter Hostes. 1. Inter *ipsos hostes* mutua est dissociatio; silent amicitiae leges, et iura; cessant Federa, in primis ea, quae sunt *Commercii*. Peculiare quidem hoc est, et maiorem Gentibus conciliat honorem, quod durante bello duret ipsos inter hostes mercatura *inermis* ex §. CCCCXXXII. Immo hoc singulare, quod invicem prohibeantur *naves praedatoriae!* Digna haec profecto, quae pleno hoc humanitatis seculo sequantur Principes! Nisi alia damna vel incommoda graviora inde sequi, experientia doceat magistra. Exemplo iam praeivit suo Rex Borussiae.

Gentes neutras. 2. Inter *Gentes neutras* est omnimoda, vel ex *pactis*, vel ex *observantia*, Navigandi *Libertas* (74); quamquam ea per hostium invicem se persequentium *studia* plerumque impeditior, multisque iccirco *cautionibus* obnoxia. De quibus N. III. Ex Le-

(74) Aliter olim binis vicibus ex caussa censebant Belgae agebantque, a. 1666. et 1689. (n. 760.).

Legibus *Neutralitatis* omnia hîc dimetienda esse, censet HVBNER (75). Ex iis autem, quae de *locis obsessis*, ac *vetitis*, supra delibavi, facile aliquot Regulae generales statui possunt, quae et Iure GG. Europaeo tempore *belli* invaluerunt. CAP. VIII. N. V.

3. Quae inter Gentes *medias* et *bella* gerentes sint *iura* et *obligationes*, insigne inter DD. sententiarum est divortium. Ex naturali enim Commercii Gentium *Neutrarum* iure et *Libertate*, opposita naturali *bellantium* sui conservandi *obligationi*; et e contrario ex Gentium Neutrarum *obligatione* leges observandi medias sive *Neutralitatis*, (ne quis actus alterutrum bellantium offendat) opposita vel iuri vel facultati naturali bellantium, impediendi vel averruncandi, quaecumque sibi nocitura, vel hosti profutura putent (§. CCCCXLV.): ingens saepe *iurium* est conflictus; et ex hoc conflictu, vero an falso? ingentes et nunc et olim in Europa, praesertim apud Belgas, Navigationis prae aliis studiosos, profluxere contentiones, querelae, immo bella. Gentem neutram et bello implicitam.

Principes in his controversiae esse videntur *de nexu licitae mercis hostilis cum navi neutra*; et *de nexu mercis neutrius vel amicae cum navi hostili*; et quid in haec vel illa iuris competat *hostibus*, cum *pleno mari*, tum *alibi* locorum. Primariae quaestiones.

§. CCCCLI. Quod ad prius! hic distinguendum, quid *iure naturali*, quid *iure GG. Europaeo vetusto*, quid *medio*, quid *hodierno*, re ipsa, vel Pa- Navis amica, bona hostilia.

(75) *Saisie des Bâtimens neutres*, T. I. p. 100.

CAP. VIII. N. V. Pactis, obtinuerit, obtineatve. In ea quidem versantur opinione complures *Angli*, res *hostiles*, ceteroqui licitas, navi *amica*, ab neutris vehi licite quidem posse, hosti vero ex propriae defensionis ratione integrum esse eas sibi merces vindicare, soluta pro his mercede, et, ut alii, *naulo*. Hanc sententiam strenue defendit CH. JENKINSON (76), innixus *rationibus*, *auctoritatibus*, ac *praxi*. Ab hac tamen ratione dissentiunt alii.

Sed missa hac ex naturali ratione disputatione, missisque DD. virorum in utramque partem opinionibus (77), ad mores GG. Europaearum si spectamus, *olim* in his insignis fuit rigor, immo tales extant Gentium Leges, potissimum RR. Galliae, a. 1536, 1543, 1584, 1681. quibus non modo merces *hostiles* navi *amica* vectae Principi commissae, sed simul ipsae, quae has vehebant, *naves*, una cum re-

---

(76) *A Discourse on the conduct of the Governement of Great Britain in respect to Neutral Nations*, in Praefat. Operis: *A Collection* etc. Vid. supra p. 8. Add. *Apologie de la Conduite du Gouvernement de la Grande Britagne à l'égard des Nations neutres*, in *Nouvell. Extraord.* a. 1759. n. 1. *Suppl.* et n. 2.

(77) De quibus conferri merentur MARTENS, *Iur. CG. Eur.* L. VIII. C. VI. Ed. Gall. T. II. p. 384—389. et 395. et Disputata inter *Anglos* et *Borussos* a. 1752. (n. 1098.). Vsum hic habere poterit Liber GIO. M. LAMPREDI, *del Commercio del popoli neutrali in tempo di guerra*, Florent. 1788. 8vo. laudatus in Annal. Götting. Anzeigen, a. 1790. p. 1117.

reliqua merce, publicabantur, ex vulgari olim Regula, *que la robe ennemie confisque la marchandise & le vaisseau ami.* Mitius Angli agebant, qui mercem quidem olim censebant illicitam, sed tamquam bona *Vectoris mercede soluta* et *naulo* redimebant, sibique vindicabant, missa *nave* et reliqua *merce* (78). CAP. VIII. N. V.

Ab hoc rigore, qui adhuc ex parte conspicitur in Federe *Commercii* Gallorum cum Vrbibus Hanseaticis a. 1716. (n. 943.) §. XXII. (79), *primi* discesserunt *Belgae*, atque obtinuerunt, 1. ab *Gallis* iam a. 1646. 2. ab *Hispanis* a. 1650. 3. ab *Anglis*, ut merces *hostiles* navi neutra vectae liberae forent; atque ita valeret Regula: *libera navi, merx libera; vry schip, vry goed.* Quae et Gallice effertur: *le navire couvre la cargaison.* Sic igitur medio seculo XVII. mitiora placere coeperunt consilia. Eaque Regula, qua non *mercium* sed *navium Domi-* Hodierna Regula.

---

(78) Recte igitur ad *mores* istius temporis provocat V. Cl. MARTENS, p. 389. et hisce deceptum GROTIVM eam sententiam tuitum esse, opinatur. Sed JENKINSONIVS, l. l. praeter GROTIVM, etiam alios advocat, BYNKERSHOEKIVM, VOETIVM, HEINECCIVM; illa vero, quae ex *Pactis* deinde secutis cum Gallis, Belgis, aliis, in contrariam proferuntur sententiam, tamquam totidem Exceptiones, quae Regulam firmant, considerat.

(79) Rationem reddit HVBNER, *Saisie des Bâtimens neutres*, T. II. p. 191.

CAP. VIII. N. V. *minium* ſpectatur, in omnia deinceps Belgarum Federa transiit, atque idem paullatim in reliquis Gentium Fedd. invaluit, et ex Pacto *Neutral. armatae*, a. 1780. firmius adſtricta est, exceptis *Anglis*, ſi ab *Pactis*, quibus eadem inest regula, discedas.

Navis hostilis, merx amica. Alia ratio in *amica merce navi hostili* reperta! Olim hic valebat Regula, ut *libera* foret *merx*; ſed et ea hodie in contrariam partem verſa est, ita ut nunc vulgo valeat *hostili navi*, *merx hostilis*; Belg. *onvry ſchip*, *onvry goed*. Quis vero bona ſua huic committet? Sed et hic in diverſa abeunt Angli, niſi Pacta obſtent.

N. VI. VISITATIO NAVIVM NEVTRARVM BELLI TEMPORE.

Viſitatio Navium. §. CCCCLII. An ius ſit *hosti neutras* in naves mercatorias inquirendi, eas explorandi, viſitandi? Si ius; quis perſcrutandi ſit modus ac forma? qui limites? quis finis? quae negatae *viſitationis* poena? Haec varie disceptantur. Variant etiam, quibus haec determinantur, Pacta; atque inde multiplex inter Gentes contentionum et querelarum materies; praeſertim de modo naves *accedendi*, has *ſiſtendi*, *examinandi*, *dimittendi*, vel ipſas vel onus *apprehendendi*. De quibus quammaxime cautum est in Fedd. Belgicis. Vnde generales hae *viſitandi* Regulae confici fere poſſe videntur:

1. Vt ne explorentur naves ſub tutela *publica*.

2. Vt ne intra iactum tormenti accedatur, ſed ſcapha exploratoria mittatur.

3. Vt

3. Vt Navarcha literas maritimas exhibeat. CAP. VIII.

4. Vt ne quidquam molestiae damnive afferatur nautis mercibusque. N. VI.

5. Vt *vetita* aliave ex pactis illicita ultro tradendo reliqua dimittantur. Alioquin in portum deducantur omnia.

6. Vt, si ad hostes navigetur, literae *Commeatus* simul exhibeantur.

Cavent de his vario modo inter se aliarum etiam Gentium *Federa*.

LITERAE MARITIMAE ALIAQVE DOCVMENTA FIDEM FACIENTIA. N. VII.

§. CCCCLIII. Vt appareat, 1. navem esse *neutram*, 2. nec ad *hostem* vehere merces *illicitas*, iure GG. Eur. cum consuetudinario tum pactitio invaluere *Literae Maritimae*, *salvi Commeatus*, *Zeebrieven*, *Passeporten*, *Certificaten*, aliaque id genus Documenta probantia, quae ad asserendum *navis* ac *mercis* dominium Navarcha secum habere tenetur vel ex *Edictis* sui Principis, vel ex *Pactis*; et de quorum Documentorum *Formulis*, accurate descriptis, utrobique constet. *Fides* enim et *probatio* non petitur ex *Vexillis*, sed ex *Literis*. Quod enim Gall. dicitur, *le Pavillon couvre la Cargaison*, aliam habet sententiam. Navis autem *mercatoria* quibus munita esse debeat praesidiis, ad probandam navim neutram et eius merces, exponunt Scriptores (80). Adiicitur saepe cautio *de literis ma-* Literae Maritimae.

(80) HUBNER, *Saisie des Bâtimens*, T. I. p. 227.

CAP. VIII. *maritimis quotannis*, vel *certo casu*, *renovandis*.
N. VII. Cavent Leges de literis *duplicibus* cum *maritimis* tum *municipalibus*, et de modo *eas expediendi*. Neglecta harum formula ex Fedd. praescripta olim ansam controversiis dedit. De literis *Commeatus* dolosis, (*Pasporten en Certificaten van visitatie*) inter Danos, Russos et Belgas, ad fraudes cavendas, a. 1738—1740. seriae fuere Deliberationes ac querelae (81). Praecipua Belgarum est cautio propter *cavillationes* in Literis *Turcicis*, vulgo *Turksche Pasporten*. De quibus iam ab a. 1664. multa OO. GG. Decreta, praesertim a. 1753. (n. 1102.), quo modus describitur agendi in occursu Navium Turcicarum ac Maurorum, etiam per naves utramque Indiam petentes. Eiusmodi Literae Commeatus *Turcicae*, graves ob caussas, ex lege a. 1727. d. 4. Ian. ab ipsis OO. GG. non aliis conceduntur navibus, nisi hic structis et ornatis; quamquam huius rei certis in caussis aliquando gratia facta est, sub cautionibus (82); anno 1786. de his denuo statutum (83).

RES

---

et 241. DE REAL, *Science du Gouvern.* T. V. p. 469. VON STECK, Versuch, p. 204. D'ABREU, *des Prises maritimes*, P. I. p. 18. et *de Vryheid der Scheepvaart beschouwd*, p. 47. et 122.

(81) Add. quae Turcae de Russis conquesti sunt, etiam apud Rempubl. *Decret. OO. GG.* a. 1789. d. 14. Sept.

(82) Exempla suppeditat *'t Recueil van Zeezaken*, T. VIII. p. 422. T. IX. p. 248, 432.

(83) Decret. OO. GG. a. 1786. d. 16. Ian.

RES PRAEDATORIA. CAP. VIII. N. VIII.

Res Praedatoria.

§. CCCCLIV. Hostes bello exorto naves armant, quae suis noceant hostibus, ac simul caveant, ne Gentes neutrae mercibus *vetitis* aliisque modis iniustis hostes adiuvent. Vocantur *Commissievaarders*, *Kaperschepen*, quae multum distant ab iis, qui *Piraticam* exercent, vulgo *Zeeroovers*, *Vrybuiters*, *Zeeschuimers*, *Corsairen*, adversus quos, tamquam generis humani hostes, Edicta prostant Principum severissima, etiam Belgarum. Pendent hi Praedatores ex S. Imperantis arbitrio; instruuntur literis praedatoriis, (*Lettres de Marque*, *de Commission*); promulgantur Edicta de repellendis hostium praedatoribus; praescribuntur *Leges* de re praedatoria bene ordinanda (*Kaapreglementen*); decernuntur *Praemia* pro captis navibus cum bellicis tum aliis; statuuntur *Regulae* de vendenda praeda hosti ademta; *prohibentur* et severe puniuntur, qui sub *alieno vexillo* praedatum exeunt (84). Deque his et id genus aliis statuitur, vel per *Edicta* Principum vel per *Pacta Conventa* inter Gentes inita. Priora vulgo *Leges navales* audiunt, cuiusmodi hoc seculo plura prostant a. 1705, 1742, 1747, 1748, 1781. d. 9. Nov. (85). Celeberrima Lex est PHILIPPI, Princ. Belgg. a. 1563. d. 31. Octobr. qua prius Edictum CARO-

LI

(84) DE WIT, *Secret. Resol.* T. II. p. 466.

(85) De his Cf. BYNKERSHOEKII, *Quaest. Iur. Publ.* L. I. C. XIX.

CAP. VIII N. VIII. LI V. a. 1551. d. 19. Iul. ampliavit et confirmavit (86). His legibus, uti egregie ipsi Mercaturae et Navigationi prospicitur, ita plerumque spectatur ad *excursiones* adversus hostes *maritimas*; simulque statui solet, quid observandum circa naves *amicas*, *neutras*, earumque *explorationes*. Ast ne hi mandata excedant, amicis noceant, vel damnum iniuria dent, navium Praefecti, antequam e portu solvunt, cavere datis fideiussoribus solent, ingenti pecuniae summa, etiam ad *f* 30000 ex *Lege* vel *Conventione* determinata. De maiori ex his praedatoribus' utilitate capienda a. 1755. cogitabant Angli. De abrogando penitus horum usu deliberant alii. Gravissima sunt Belgarum Edicta adversus hostiles praedatores, qui tempore belli intra breviaria vel ad litora deprehenduntur, intentata ipsis poena capitali. Alia adversus peregrinos praedatores, ne quid *hostile* tentent, vel *praedam* vendant; ac variae de his cautiones a. 1747. d. 11. Dec., a. 1756. d. 3. Nov. (n. 1115.), tit. *Reglement voor vreemde Kapers*. Sed multae quoque querelae de praedatoribus Gallis, Anglis, aliis, nostras ad oras na-

(86) Hanc PHILIPPI Legem navalem, quae sub titulo: *Nader Ordonnantie, Statuit ende Eeuwig Edict*, caussam Mercatorum promovit, et quam in multis etiam nunc sequuntur Belgae, Commentario illustratam dedit ADR. VERWER, *Nederlants See-Rechten, Avaryen en Bodemeryen*, a. 1716. p. 71. sqq. 4to. Exstat et *Groot Placaatboek*, T. I. p. 796. et *Placaatb. van Vlaanderen*, T. II. p. 307.

naves hostis fui perfequentibus vel capientibus (87). Decreta faepe funt praemia pro navibus incenforiis hostium (*branders*) capiendis vel comburendis (88). CAP. VIII. N. VIII.

§. CCCCLV. Quod ad naves *exploratorias*, quae etiam Pacis tempore ad oras maritimas *Coloniarum* collocantur (vulgo *Kustbewarers*) ob mercaturam clandeftinam (*Smokkelhandel*) impediendam. De iure collocandi nulla videtur esfe dubitatio. De *vifitandi* vero certo quaeritur cafu. Interim quemadmodum de navibus Belgicis, quae *clandeftinae* habebantur, a. 1739. fq. ingentes Hispanorum; de iniusta vero apprehenfione, Belgarum erant querelae: ita et in Republ. exftant Decreta de alienis navibus ab oris Belgarum repellendis ac perfequendis. Ipfa navium eiusmodi perfecutio *pleno mari* neminem offendere potest. Vt autem nullus querelarum locus fuperfit, Praefecti Navium in mandatis habent, ut, quas intra Reipubl. posfesfiones *Indicas* vel ad *oras* deprehendant, naves tamdiu profequantur, quamdiu *fpes capiendi* fuperfit; caveant tamen, ne accedant vel quid hostile agant ad oras Gentium Europ. intra milliare (89). Id quod navali fua lege a. 1788. etiam Rex Sueciae definivit. Naves exploratoriae.

§. CCCCLVI.

(87) Exempla *Recueil van Zeezak.*, T. VIII. p. 477, 482, 537, 644, 727.

(88) *Groot Placaatboek*, T. V. p. 291. a. 1703. d. 20. Oct.

(89) Decret. OO. GG. a. 1789. d. 11. Dec. occafione navis Anglo-Americanae.

CAP. VIII. N. VIII.

Leges navales exterae.

§. CCCCLVI. Belgarum quoque magnopere interest nosse, quae de his exterarum gentium sint Leges *navales*, cum propter cautiones ex iis depromendas, ne imprudenter labantur, tum propter iustas querelas et gravamina per Belgas ex laeso suo iure inde ad gentes delata. Famosa est Lex *Galliae navalis* a. 1744. (n. 1039.) ab V. D. DE REAL prolixo Commentario illustrata. Successerunt aliae a. 1778, 1781. (n. 1170, 1203.), et plura continentur Libro, tit. *Code des Prises* (90). Conquerendi caussam dabat Lex Sueciae navalis a. 1741. et quae nuper prodiit a. 1788. d. 8. Iul. Hispaniae a. 1680, 1746, 1779. (n. 1180, 1183.) Angliae a. 1756. (n. 1117.). Mitto Russos, Danos, Borussos, (n. 1114, 1120, 1157, 1189, 1204.).

N. IX.

NAVIVM APPREHENSIO.

Navium captura.

§. CCCCLVII. Praeter naves hostiles apprehendunt, et apprehendendi saepe est facultas, naves in bello *medias*, sive integras, sive cum parte oneris, vel onus sine nave, vel aliquam oneris partem, pro caussarum diversitate. His plures opponi possunt *casus*, quibus *nulla* sit capiendi facultas, quos

(90) Paris 1784. II. Voll. 4to. cuius T. II. p. 761. habetur *l'Ordonnance du Roi, concernant les devoirs & les formalités, que doivent remplir les Consuls à l'egard des Prises conduites dans les ports ètrangers*, recusa ab V. D. DE STECK, *Essai sur les Consuls*, Berl. 1790. p. 173. sqq. 8vo.

quos hic recenſere et longum est, et perquam diffi- CAP. VIII.
cile, propter diverſas quae hic incidunt quaeſtiones N. IX.
ex causſarum, temporum, ac locorum, varietate diiudicandae (91). Generales hic regulae iure gentium hodierno valent, niſi vel *lege* vel *pacto* vel *privilegio* aliter cautum. Cuiusmodi multa Belgas inter et alias Gentes proſtant. Sed et hic, ſi unquam alias, multiplices Belgarum fuere querelae et controverſiae cum GG., praeſertim ſicubi gens claſſe validior, bello implicita, poteſtate abutatur ſua in navibus neutris *viſitandis*, *vexandis*, *depraedandis*, *apprehendendis*. Pleni ſunt Annales Belgici istiusmodi Anglorum et Gallorum depraedationibus maritimis, ex hoc fonte repetendis, diiudicandisque.

NAVIVM RECVPERATIO. N. X.

§. CCCCLVIII. *Capiuntur* naves etiam ab Navium
hoste, *recuperantur* vero vel ab amico, *ſocio*, vel recupera-
ab ipſa gente, cuius ſunt naves, idque vel ope *na-* tio.
vis bellicae vel *praedatoriae*. Hosti ereptae, ſuntne recuperantis, an pristino reſtituendae domino? An et quatenus in his ius *postliminii*? Quum nihil hic decidat ius naturae, certe varient eius interpretes et in tres abeant partes DD. ſententiae, ſuis quaeque rationibus innixae: hinc, ubi gens ipſa recuperat, opus est *Legibus* ſui Principis, priori vero

(91) Vid. HUBNER, *Saiſie des Bâtimens*, T. I. p. 98—159.

CAP. VIII. N. X. ro casu standum est *Pactis* inter Gentes. Ex Lege Belg. a. 1632. d. 11. Mart. olim nulla *temporis* vel *expensarum* habita ratione *duae tertiae* partes adsignabantur recuperanti. An alia deinceps invaluere? *Gallis* et *Anglis* diversa placent. Alia etiam Hispanis. Plerumque vel in ipsis Commercii Fedd. vel ubi casus ferebat, vel bellum oriebatur, generatim ita cautum est, ut ius *pristini domini* in praedam captam, ex determinatis temporum intervallis, quibus in *Recuperantis* fuerat potestate, maius sit vel minus, vel penitus cesset. Ratio in promtu est. De his separatim cautum est cum *Hispanis* a. 1676. (n. 697.) (92) cum *Anglis* a. 1689. (n. 772.) a. 1744. (n. 1038.) et denuo de his actum a. 1748. (93). Cum *Gallis* a. 1781. (n. 1201.). Cum Fedd. Anglo-Americanis a. 1782. (n. 1219.). Inter ipsas Provincias, puta Holl. et Zeel. etiam convenit a. 1707. (94).

N. XI. IVDEX NAVIS NEVTRIVS IN PORTVM DEDVCTAE.

Iudex navis.

§. CCCCLIX. Deduci possunt naves, ex N. IX. deprehensae, etiam *hostiles*:

1. In portum gentis neutrius, cuius est navis.
2. In portum gentis inimicae.

3. In

(92) Add. D'ABREU, *des Prises Maritim.* P. II. p. 50.

(93) *Recueil van Zeez.* T. VI. p. 90. sqq.

(94) *Groot Placaatboek*, T. V. p. 428, 432.

3. In portum alterius gentis neutrius. CAP. VIII.

4. In portum, ut vulgo fit, *bellantis* et *capientis*. N. XI.

Duo priores caſus ſunt admodum rari, et de iis ſatis conſtat. De appulſu ad portum *neutrum*, ſermo est nonnullis in Fedd., uti cum Hispanis a. 1714. Gallis a. 1739. Siculis a. 1753. Gravis erat a. 1745. de navibus Gallicis per Anglos in portum *Bataviae* adductis controverſia. Negabant Belgae Fedus a. 1739. ſeſe extendere extra Europam. Prohibentur ſaepe naves *hostiles* mutuo ex favore, ne praedam adducant in portus *neutros*; multo magis ne *neutras* capiant naves ſub dominio alterius neutrius. De ipſo tamen *iudice* fere ſiletur. In portu neutrius.

§. CCCCLX. Praeda in portum *capientis* deducta; ſitne *legitima* et *rite capta? an*, *quis*, *qualis* eſſe debeat iudex? *Conſulesne* maritimi? an utriusque gentis *ministri* vel *delegati?* An *Tribunalia* vel *capientis* vel *territorii*, ad quod appellunt? an *arbitri?* Disquirant haec DD. (95). Vt naves *neutrae* pleno mari captae *iudicio* ſubſint *capientis*, contra naturam eſſe, cenſet HVBNERVS (96). Alii aliter (97). Docet iste disſenſus, In portu capientis.

---

(95) Principe loco hic nuncupandus HUBNER, *Saiſie*, T. II. p. 52. ſqq.

(96) *Saiſie*, T. II. p. 21. ſqq. 79. Cf. *De Vryheid der Scheepvaart beſchouwt*, p. 48.

(97) Cf. HEINECCII, *de Navibus ob vecturam mercium commisſis*, Cap. II. Sect. 17. ſq. MARTENS, Ed. Gall. T. II. p. 389.

CAP. VIII. N. XI. fus, quam fit necesfarium, ut Pacta loquantur ac rem determinent. Idem docent fcripta memorabilia a. 1752. inter Ministros Regum M. Britanniae ac Borusfiae *Newcastel* et *Michel* de *Iudice constituendo* (n. 1098.), et quae obfervat VON STECK (98). At bonum factum! Ad amputandas has lites in Fedd. Belgg. puta cum *Anglis*, *Gallis*, *Hispanis*, *Lufitanis*, *Suecis*, aliisque, etiam inter alias gentes (99) cummaxime cautum est, et accurate ftatutum de *iudice*, de *tribunali*, de modo ac forma *procedendi* et *iudicandi*, *probandi*, *praedam adiudicandi*, de *appellatione*, *revifione*; de *tempore iudicandi*; de *probationibus* a capto, tamquam reo, faciendis per *documenta*, quae in navibus reperiuntur, vel etiam, uti vifum plerisque (negante tamen Gallo, et conquerente a. 1744. Republica) quae deinde *exhibentur*, vel per ipfa *Acta causfasque* circumftantes. Neque haec iudicia fiant ex privatis, quae in *iudicii loco* vigent, legibus, fed fecundum iura GG. et Pacta conventa: uti id ipfa agnovit Anglia in Refponfo Regi Borusf. dato (1). His vero omnibus novum praefidium quaefitum est per Systema

(98) Verfuch, p. 185.

(99) HUBNER, *Saifie*, T. II. p. 227. fqq. et *Vryh. der Scheepv.* p. 97. fqq.

(1) Cf. MARTENS, p. 228. Add. LL. Belgg. a. 1747. d. 11. Dec. et Interpret. a. 1748. d. 14. Febr.

ma *Neutralitatis armatae*, ex Belgica accesſione a. 1781. (2). CAP. VIII. N. XI.

§. CCCCLXI. Haec de iudice *navium neutrarum*. An naves hostiles, ab hoste ſuo captae, etiam *iudiciis* ſubſunt? Sic certe ex more, non ex eo quod *hostium* ſint, ſed ut caveantur abuſus Praedatorum, ſimul et iusta fiat praemiorum distributio (3). Et ita in Belgio; ubi variis LL. definitae ſunt portiones, quae cedant Aerario publico; quae navium Inſtructori; quae nautis, quae praefectis navis bellicae. De portione ſummi Maris Praefecti (vulgo *Amiraal Generaal*) variant pro tempore Leges et Vſus (4). Suam portionem non ſemel remiſit Ille. Naves hostiles.

SALVTATIO MARITIMA. N. XII.

§. CCCCLXII. In ſalutandi ratione Gentes Europaeae admodum ſunt religioſae. Fit Salutatio vel in ſignum *honoris*, vel *amicitiae*, uti inter privatos, vel *ſubiectionis*, vel *agniti* locorum Dominii. Mo- Finis.

(2) *N. Nederl. Jaarb.* h. a. p. 584. Add. MARTENS l. l. p. 229. et BÜSCH, Grundriß, p. 421.

(3) HUBNER l. l. T. II. p. 81.

(4) De Huius portione quid ante, quid post Liberam Rempublicam, VAN DER SCHELLING, *Hollands Tiendrecht*, T. I. p. 346. ſqq. et nupera propoſitio in *'t Rapport van 't Defenſiewezen*, Bylage A. p. 81. Add. Mandata a. 1766. d. 8. Mart. *Rec. van Zeez.* T. X. p. 206.

CAP. VIII. N. XII. Modus. Modus ſalutandi est varius; fit per demiſſionem aplustrium, vel velorum, vel per tormenta, vel per utraque ſimul. Vtcumque Belgae cavere lites ſolent et iustam querelarum cauſſam, haec tamen ſalutatio larga controverſiarum fuit materies.

Cum Anglis. In *mari* quod vocant *Britannico*, immo in *maribus quatuor circumfluis*, Angli olim tamquam in ſignum *Dominii*, uti ab aliis, ita ab Belgica gente petebant *Salutationem*. Rem ipſam concesſit *Respublica*; ſimul et *modus* ac *limites*, quos intra fieret Salutatio, accurate ſunt definiti Pactis a. 1654. §. XIII. a. 1662. §. X. a. 1667. §. XIX. a. 1674. d. 19. Febr. §. IV. Sed negabant Belgae, fieri id aliter quam *honoris* ergo ex pactis determinati; neque aliquid argumenti ex hac vexilli demiſſione pro agnito *istius* Maris Dominio capi poſſe aſſerebant (5). Extra hos limites idem Regis Angliae navibus ex uſu recepto praeſtatur honos, qui reliquis GG. (6). Ob ſolam hanc cauſſam praecedente ſeculo Fedus inire cum Gallis cogitabant Belgae.

---

(5) De hac lite quae gesta, dicta, ſcriptaque ſunt ab Belgis, vid. WAGENAAR, *Polit. Tract.* T. I. p. 280. ſq. J. DE WIT, *Secret. Reſol.* T. II. p. 424, 542, 551. BRAND, *'t Leven van* M. DE RUITER, p. 617, 640. LE CLERC, *Nederl. Geſchied.* T. IV. p. 85, 88, 94, 135, 381. De ſalutatione quodam caſu omittenda cavebatur a. 1692. DU MONT, *Corps Dipl.* T. VII. P. II. p. 310.

(6) Cf. BYNKERSHOEKII, *Iur. Public. Quaeſt.* L. II. C. XXI. p. 339.

gae. Neglectam ab Praefecto Anglo resalutationem a. 1764. ipsi Angli aegre tulerunt (7). Hodie cessante ex Pactis obligatione res visa est redire ad id quod *mos* fert *Europaeus*. Post initam Pacem de resalutatione alia a. 1786. minoris tamen momenti, fuit dubitatio (8). CAP. VIII. N. XII.

Cum *Gallis* non minores interdum ex Federe a. 1635. §. XII. (n. 347.) fuere lites a. 1652, 1666, 1681. Fuit tempus quum ob hanc salutationem *classe coniuncta* navigare detrectabant. Initum *de salutatione* pactum est a. 1667. d. 5. Maii (n. 594.). Gallorum autem vulgare est: *le Pavillon de France ne se baisse jamais*. Illud tamen falli, sua iam aetate observavit IO. WITTIVS (9). Orta a. 1782. inter praefectos controversia ad oram Capitis Bonae Spei, utrum salutanda ab praefecto Gallo *navis Belgica*, an vero *castellum?* re ad OO. delata statutum est, per utramque Indiam *naves* Belgicas, quamdiu illic stationem habent, *castelli* vicem sustinere. Posse tamen deinceps naves exteras Castellum separatim salutare, et resalutari (10). Quae olim *Regis*, nunc *Populi*, Insignia in Comitiis Gallicis sunt decreta a. 1790. d. 24. Oct. ea ab Cum Gallis.

---

(7) *Recueil van Zeezak*. T. IX. p. 684.

(8) De qua *Decret. Ordd. Holland*. a. 1786. d. 22. Aug.

(9) DE WIT, *Brieven*, T. II. p. 460, 473. LE CLERC, *Nederl. Geschied*. T. III. p. 770. sq.

(10) *Decret. OO. GG.* a. 1783. d. 28. Iul. et *OO. Holland*. a. 1783. d. 7. Aug.

CAP. VIII. N. XII. ab Rege sancita d. 31. Oct. rogatique Ordines Belgg. ut huius immutationis moneant Collegia Archithalassica, adiecta *Vexillorum* delineatione (11).

Cum Danis. Cum *Danis* crebra controversia, in primis de salutanda *Arce Cronenburg.* ad introitum *Freti Sundici.* Convenerat de eo a. 1649. §. VII. (n. 427.). Novae lites a. 1670, 1710. Exstant Edicta Regia a. 1748. d. 11. Aug. (n. 1070.) et a. 1756. d. 3. Apr. quod memorat DE MARIEN (12).

Cum Hispanis. *Hispanis* haud ita pridem de neglecta salutatione conquerentibus pro sua dignitate responderunt OO. GG. a. 1788. d. 28. Iun.

Pacta extera. §. CCCCLXIII. Vt evitentur controversiae, aliae etiam Gentes Pactis caverunt, in quibus eminet illud *de omittenda penitus salutatione* Danos inter Russos ac Suecos a. 1730. (n. 995.), inter posteriores ex Pace Aboënsi a. 1743. (13).

Leges peculiares. Haec ubi silent, ex usu fere GG. Europ. omnia pendent (14). Sed ipse variat usus. Quapropter et Legibus vulgo cavent. Sic supra *Dani.* Sic *Gal-*

(11) *Decret. OO. GG.* a. 1790. d. 23. Dec.

(12) DE MARIEN, *Tableau des Droits & Usages de Commerce relatifs au passage du Sund*, Coppenh. 1778. p. 81. 8vo.

(13) J. J. MOSER, Versuch, T. X. P. II. p. 491.

(14) Hunc usum ac morem pluribus exponunt J. J. MOSER, Versuch, T. II. p. 482. sqq. T. V. p. 503. sqq. MARTENS, Ed. Gall. T. I. p. 203. sqq. ubi et de modo componendi exortas de his GG. controversias.

Galli a. 1689, 1776. Sic etiam Belgae a. 1671. d. 3. Ian. a. 1705. d. 9. Iul. a. 1718. d. 23. Iul. a. 1756. d. 22. Oct. in primis ubi naves ad oras *exteras* appellunt, vel *portus* vel *flumina* intrant: ex his legibus, posita plena Gentium facultate suo in territorio de his statuendi, salvis Pactis, iniunctum est navium Belgarum Praefectis, salutandi rationem instituere *pro usu* regionum (15). Singulari quoque Edicto de Navibus *Ordinis Melitensis* cautum est a. 1750. d. 19. Febr. (n. 1085.) nec non de explodenda in Angliae portubus vigilia (*de wacht afschieten*) a. 1727. d. 9. Iul. De omni hac re accuratius cogitatum esse ab Collegiis Archithalasficis a. 1734. d. 15. Maii, reperio. Sed defuit effectus. Respublica in his satis est indulgens alieni, dum suus servetur honos. CAP. VIII. N. XII.

Belgarum vexilla.

Quae Reipublicae sunt Vexillorum *Insignia*, *Colores*, *Nomina*, et ante et post liberae Reipublicae tempora; qui his habendi honores, quaeve in iis Summi Praefecti Maritimi (*Amiraal - Generaal*) partes et iura; quae navium *privatarum* ab *publicis*, quaeve publicarum inter sese distinctio ope *vexilli*: hic dicere omitto (16).

De

(15) Cf. *'t Generaliteits Rapport, hoe sig omtrent het Salut en Contrasalut met Engelsche en Americaansche Schepen te gedragen*, in Decret. OO. GG. a. 1783. d. 19. Maii, et OO. Holl. d. 28. Maii.

(16) Multa de his exponit S. H. VAN IDSINGA, *Staatsrecht der Vereen. Nederl.* T. I. p. 309. T. II. p. 95, 123. sq.

CAP. VIII. N. XII.

Vexilli abusus.

De fraudulenta sub alieno *Vexillo* navigatione prospexit Rex Borussiae a. 1781. (17). Ne vero in damnum nostrae *Navigationis* exteri amplius Belgico abutantur Vexillo, serio deliberant Ordines (18). Legati Tripolitani postulatum, ut Regis sui vexillum navi Belgicae, quacum profecturus esset, imponeret, a. 1769. honeste negatum (19).

N. XIII. PHARI, DOLIA, PILOTAE.

Phari et Dolia.

§. CCCCLXIV. Difficilis est orae Belgicae aditus. Non minus tamen frequentatur. Tutantur, et viam monstrant *Phari* et ignes nocturni; *Dolia*; *Pilotae* seu iurati brevium ac vadorum indices. Harum rerum, navigantibus tam utilium ac necessariarum, curam agit, ac controversias dirimit Collegium peculiare (*Commissarissen van de Pilotagie*). Ipsis Pilotis severae sunt praescriptae leges, cum OO. tum Vrbium, quae simul *iura*, *officia*, *mercedes*, *poenas*, determinant. Tales sunt a. 1668. d. 19. Dec. a. 1680. d. 18. Dec. a. 1698. d. 24. Oct. a. 1773. d. 28. Ian. (20). Quod ad *Pharos* ac *Dolia*; de his vario tempore caverunt Leges, atque in eos qui haec auferant poenae statutae,

Pilotae.

Leges.

(17) *N. Nederl. Jaarb.* h. a. p. 2025.

(18) *Rapport van 't Defensiewezen*, Bylage E. p. 46.

(19) *Recueil van Zeezak.* T. XI. p. 121.

(20) Exstant passim in *'t Recueil van Zeezaken.* Add. WAGENAAR, *Amsterdam*, T. IX. p. 214. et *N. Nederl. Jaarb.* a. 1773. p. 261.

tae, nisi OO. iussu *adversus hostes*, uti a. 1574. et a. 1588. (21). Sed de his quoque ex communi *gentium* utilitate *Pacta* intercedunt, maxime necessaria propter *expensarum solutionem*, ac *vectigalium* determinationem: unde etiam controversiae, cuiusmodi plures cum Rege *Daniae* ex Fedd. olim compositae, separatim quoque a. 1657. d. 23. Maii (n. 485.). De restauranda *Pharo* ad *Anhout* amice monebat Rex Daniae OO. Belgg., OO. vero a. 1700. d. 4. Sept. mercatores et navigantes. Habentur hac aetate multa ad oras Daniae *igniaria*, eaque perquam utilia, in locis *Schagen*, *Anhout*, *Lesan*, *Elseneur*. Ex ultimo Federe cum Danis §. xxxi. convenit, ut pro certa ex navibus mercede, quae ex nostra Matricula (*Toltarif*) omnium gentium hodie communis est, Rex Daniae pharos, et dolia, curaret. De iis augendis et emendandis ad fretum Sundicum nupera exstat Regis Daniae ad OO. propositio a. 1782. d. 12. Mart. et ulterior explicatio a. 1783. d. 16. Oct. Nec detrectant OO. augere mercedem, dummodo et ad Insulam *Bornholm* turres igneae excitentur (22). De dolio Triendelensi (*de ton op den Triendel*) collocando superest quaestio, cuius transactionem optat DE MARIEN (23). In-

CAP. VIII. N. XIII.

Pacta.

Consilia.

(21) IDSINGA, *Staatsrecht*, T. II. p. 127. et J. J. MOSER, Versuch, T. V. p. 491.

(22) *Decret. OO. Holland.* a. 1783. d. 31. Oct. et d. 28. Nov.

(23) *Tableau des Droits & Usages de Commerce, relatifs au passage du Sund*, p. 3.

CAP. VIII. N. XIII. Ingens Mercaturae Danicae commodum accessit ex fosso canali, qui Mare Balthicum cum altero coniunxit; cuius rei Rex certiores reddidit OO. GG. a. 1785. (24) permissa ad 6 annos exterorum navigatione. Aliud a. 1787. d. 7. Dec. prodiit Regis Daniae Edictum de *Pilotis* tempestive monendis. Nova cum Rege *Borussiae*, qua Principe Oostfrisiae, de *Pharo* ac *Doliis* ad fluvium *Amasum* habetur Conventio a. 1781. d. 9. Aug., renovata ad 10. annos a. 1790. d. 16. Aug. (25).

N. XIV. NAVFRAGIA.

Res naufragae. §. CCCCLXV. Insignis olim circa naves Naufragas, earum vectores, et merces, Legum fuit rigor, non modo apud Gallos, Anglos, sed etiam apud *Belgas*. Omnia Principis *fisco*, sive, ut loquebantur, Domini Territorialis *Aerario* cedebant. Idque ex iure inter Gentes et Principes constituto.

Pristinus rigor. Privilegia. Paullatim hic rigor remissus, et tandem per omnem fere Europam penitus sublatus est *Privilegiis*, *Pactis*, et *Legibus* mercaturae faventioribus. Quid hodie iure GG. Europaeo obtineat, nosse Belgarum perquam interest (26). In Belgio et pro Bel-

---

(24) *Decret.* OO. *Holland.* a. 1785. d. 8. Iul.

(25) *Decret.* OO. *GG.* a. 1791. d. 1. Febr.

(26) Exponunt abunde J. J. MOSER, Versuch, T. V. p. 501. T. VII. p. 672. MARTENS, *Iur. GG. Eur. Pract.* Ed. Gall. T. II. p. 197. Addantur ex Belgio Dissert. Leidae defensae PETRI MARCVS, *de*

Belgis multa ab antiquo aevo proſtant *Privilegia* (27). CAP. VIII. N. XIV.

Quod ad *Pacta!* Cum *Anglis* olim ſtipulatum, ut, quamdiu animal domeſticum *vivum* ſupereſſet, aerario ne applicarentur *bona naufraga*. Mitigatum illud a. 1496. §. LXXXIX. (n. 89.) ita ut, etiamſi nihil, quod viveret, ſupereſſet, nihil quidquam vindicaretur intra *unum annum* et *unum diem*. A. 1625. §. XVIII. penitus peremtum omne ius. Et ſic cum aliis! Pacta.

Leges in Belgio exſtant praeclarae. Praeter vetusta Edicta ſub CAROLO V. et PHILIPPO a. 1540, 1549. (n. 120, 134.) a. 1563. d. 31. Oct. et a. 1574. d. 15. Maii, et ſub OO. ab a. 1607–1739. eminet Lex Zeelandiae, a. 1751. d. 14. Iul. Hollandiae a. 1772. d. 22. Iul. Ordd. GG. a. 1749. d. 7. Mart. Plenum quoque humanitatis Edictum eſt Principis WILHELMI V. qua *Amelandiae* Domini, a. 1750. d. 30. Sept. Ex his Legibus ſeverae ſtatuuntur poenae in eos, qui quid damni vel mercibus vel nautis afferant; indicantur ſimul opem ferendi media, cett. Leges.

Vrinatorum Societatem ſeu Collegium, praeter Luſitanos, ſola quod ſciam *Suecia* habet publica erectum au- Sueciae.

---

de bonis Naufragorum a. 1754. W. CORN. BOEY et VAN BEKESTEIN RAKET, *de iure circa res naufragas*, a. 1761. et a. 1775.

(27) Quae expono ad *Prim. Lin. Collegii Dipl. Hiſtor. Polit.* §. 795. Add. IDSINGA, *Staatsrecht der Vereen. Nederl.* T. I. p. 366—368.

CAP. VIII. N. XIV. auctoritate a. 1734. d. 18. Nov. ſaepe deinceps confirmatum. Egregium profecto! inſtitutum (28).

Ius litoris. §. CCCCLXVI. Cum his tamen confundi non debet *Ius Litoris*, ac praeſcripta Legibus facultas colligendi, ac pro certa mercede, ſat ſaepe *gravi*, ſub titulo *ſervatitii* (*bergloon*) custodiendi bona naufraga, intra tempus lege conſtitutum per proprietarios repetenda (29). Huius rei cura, excluſis privatis, quum ad certos pertineat Magiſtratus, graves inde ſaepe inter ipſos contentiones, ob moram *exteris* quoque damnoſae, cum de *lucro* percipiendo, tum de *iurisdictione*. Quas vero ex bonis ſervatis Fiscus olim percipiebat, *Decimas* exſtinxerunt OO. Holl. a. 1663. d. 12. Dec. excepto caſu *retorſionis*. Idem hodie in *Amelandia*.

N. XV. CVRA REI MARITIMAE.

Res maritima. §. CCCCLXVII. Duplex in Belgio est cura ſive obiectum *rei maritimae*. Spectat enim vel ad res mere navales (*zaken van Marine*) ſub eaque *legitima* Mercaturae *defenſio*; vel ad *Vectigalia* maritima (vulgo *Convoyen en Licenten*), quorum percipiendorum varia est origo, indoles, nomina. Prior, magis proprie dicta *res maritima*, mandata est

(28) Vid. de eo SAM. RICARD, *Traité general du Commerce*, T. I. p. 257. Ed. 1781.

(29) Laud. IO. SAM. FRID. BOEHMER, *de Servatitio*, et VETH VAN DE PERRE, Disſert. *de Iure littoris* (vulgo *Strandrecht*) Leid. 1766.

est ab OO. ſupremo Maris *Praefecto* et adiunctis ei quinque Collegiis *Archithalasſicis* (*Amiraliteits-Collegien*), tamquam ipſius *Conſiliariis*. Frequens olim erat privata mercatorum *Societas bellica* (*varen by Amiraalſchap*), quae et ſuo etiam auſu damnum per mare datum vindicabat. Debebantur haec Societati *Hanſeaticae*, ac pristinae GG. ferociae. Ceſſarunt illa deinceps, neque quidquam adverſus praedatores vel privatos absque *publica* auctoritate agere licet. Hinc repetendae tot Federum *cautiones* de iniuria per *privatos* non vindicanda. Cave tamen, ne ex pristina hac *Societate* cum nonnullis derives, quae adhuc ſubſiſtunt, ſupra memorata *Collegia Archithalasſica*, quorum originem, indolem, fata, et ſi quid de his emendandis hodie capiatur conſilii, noſſe, exterarum gentium parum intereſt, niſi ſi quid in his mutaretur vel emendaretur: ſiquidem de navium *iudice*, *tribunali*, cett. multa in Fedd. caventur ex §. CCCCLX. CAP. VIII. N. XV.

N. XVI.

NOXIVS ET INNOXIVS TERRITORII TRANSITVS ET COMMORATIO.

§. CCCCLXVIII. Miſſis, quae Iuris Publ. DD. nonnulli ſubtiliter disputant de territoriis Gentium *non clauſis*: Belgarum eſt noſſe, quid iure GG. Europaeo, et praeſertim *Belgico* obtineat. Eſt autem ea generalis obſervantia, quae et profluit ex *naturali* civitatis liberae *independentia* (30), ut pere- Ingens olim rigor.

(30) Loquor cum MARTENS, *Iur. GG. Eur.* p. 56. Ed.

CAP. VIII. N. XVI. peregrinis non plus *iuris* ſit intrandi territorium *alienum* quam in privati posſesſiones. Media aetate tantus in his erat rigor, ut non modo, invitus qui intraret, *ſervus* fieret; cuius rei vestigia hic illic in *Wildfangiatu* et *Iudaeis*, quos vocant, *Cameralibus*, ſuperesſe nonnullis cenſentur: ſed integrae etiam Gentes et Vrbes, Commercii causſa, inter ſe ſtipulari cogerentur vel concederent *liberum* territorii *introitum*, modo ne *armatum*. Exempla passim, in pristinis Belgarum Fedd. ac Privilegiis (§. CCXXVIII.) obvia.

Paullatim remisſus. §. CCCCLXIX. Quo mitiores deinde mores, multum in his est relaxatum: atque ex increſcente mercatura et communi utilitate per Federa *Commercii* et *Amicitiae* mutua *transeundi*, *commorandi*, *discedendi*, libertas plenius est ſancita. Quae ſi magna est apud gentes alias moratiores, certe in Belgio maxima, etiam *ſine Pactis*. Nonnulla tamen vel ex *temporis*, vel *perſonarum*, vel *uſus*, vel *locorum* ratione hic obſervanda et diſtinguenda.

Liber Reipubl. transitus.

Limitatio temporis. §. CCCCLXX. Alia nempe belli est ratio, alia pacis. *Pacis* tempore nemo ſine iusta causſa arcetur. Neque opus est *conceſſione*. In Bello quid obtineat, vid. infra N. XXI.

Perſonarum. §. CCCCLXXI. Quod ad *perſonas*! Transeunt Belgarum per territorium *Principes*, *Legati*, *mercatores*, *peregrinantes*, *naves*, *merces*, *res*, *ſcripta*,

---

Ed. Gall. T. I. p. 93. ſqq. Add. NEYRON, l. l. P. I. p. 171. G. ACHENWALL, *Iur. GG. Eur. Practici*, a. 1775. p. 51. ſqq.

pta, *milites*, *desertores*, *vagabundi*, *suspecti*, *re-* CAP. VIII. N. XVI.
belles, *facinorosi*. De *Principe* et eius *Legato* dico CAP. X. *Mercatorum* et *iter facientium*, si usquam, certe in Republ. plenissima est libertas, *Federibus Commercii* accurate saepe sancita, cum ipsorum ratione tum *navium* ac *mercium*, eatenus ut etiam de *Scriptis suis* cura habeatur. Vti e. c. cum *Gallis* a. 1662. §. XLVI. cum *Hispanis* a. 1714. §. XXIV. Hi certe tamquam *subditi temporarii* considerantur; gaudent legum praesidio; neque his iustitia aequo pede denegatur. In *rebus* tamen ac *mercibus* nonnulla ab mera pendent humanitate; in *personis* quoque quaedam sunt exceptiones ratione iuris *succedendi*, *emigrandi*, et *acquirendae dignitatis* (N. XVII.). De *Desertoribus* dixi §. CCCCXXXV. *Vagabundos*, *suspectos*, *rebelles*, *facinorosos*, arcere Respubl. potest, si id sua ex re aestimet; exigi tamen ab alia gente non potest, nec persequi eos licet, nisi *pacta* id postulent, uti cum *Anglis* a. 1667. §§. XIII—XVII. a. 1674. §. VII. cum *Gallis* et *Anglis* a. 1717. §. II. (n. 946.) vel literae, quas vocant, *requisitoriales* admittantur. Contra qui a. 1763. nautae in navi Indica *Nyenburg* rebellantes in *Brasiliam*, iuris Lusitanici, aufugerant, ab OO. rogati traditi ac puniti (31). Recepti sunt advenae *Saltzburgenses* (n. 998.).

Verbo: generale Reipublicae principium est, pere-

(31) *Recueil van Zeezak.* T. IX. p. 519, 538. add. alia T. X. p. 364.

CAP. VIII. N. XVI. egrinos quovis favore allicere magis quam reiicere.

Vſus innoxii.

§. CCCCLXXII. Sed haec omnia intellexeris de *uſu* et transitu *innoxio.* Vtrum ſit innoxius, iudicium est penes Rempubl. Tacite certe excipitur quidquid vel *peste* vel *morbo* contagioſo infectum; de quo vulgo cavetur *Legibus temporariis*; cuiusmodi promulgatae a. 1738. d. 31. Dec. a. 1740. d. 23. Mart. a. 1751. d. 23. Nov. De *navibus* peste vel morbo contagioſo infectis vel ſuſpectis ſeriores proſtant ac ſeverae OO. Leges, cautiones, ac Regulae praeſcriptae a. 1770. d. 3. Oct. et d. 10. Dec. a. 1771. d. 3. Maii, ex quibus ſi qua navis peste revera infecta invitis OO. ad oram appellat vel portum intret, in praefectum capitali ſupplicio animadvertitur, et ipſa navis omni cum merce flammis deletur: ſi qua vero ſuſpecta duntaxat, vel e loco ſuſpecto adventet, aliquot dierum mora (*quarantaine*) pro cauſſarum varietate certis ex regulis praeſcribitur (32). Ipſae literae *Commeatus* (vulgo *Gezondheidsbrieven*) distinguuntur in *Patento netto*, *tocco* vel *totto*, et *bruto.* De *literis* peste infectis alia adhibetur cautio ad *Postarum* ſtationes. Ingens quoque fuit OO. cura et ſollicitudo, quando a. 1764—1768. mercatores nonnulli Roterodamenſes diverſo tempore et modo in ſe ſuſceperant, ingentem advenarum numerum ex Germania, ditione potisſimum Palatina, (ſub titulo

(32) Meretur hic conſuli *'t Recueil van Zeezaken*, T. XI. p. 412, 482. ſqq. 627.

lo *Emigranten*) ad *duo*, *tria*, *quatuor* hominum millia, transvehere in Virginiam aliasque Anglorum in America Colonias. Qui quum nostrum per territorium essent transituri post impetratam ab OO. GG. veniam, multa opus fuit prudentia, ut simul constituerentur *numerus*, transvehendi *modus*, *tempus*, aliaque, ne quid inde noxae civibus oriretur, quae tamen ab Russis nonnullis caveri non potuit in *Weesp* et *Muiden*. Decr. OO. GG. a. 1766. d. 9. Maii (33). Quum vero sub hoc colore etiam milites tirones (*Recruten*) aliorsum transveherentur: de his cautum ex OO. Decret. a. 1766. d. 16. Iun. Ad redimenda onera et vectigalia ex bonis et impedimentis eorum percipienda singula emigrantium capita ad certam pecuniam ab institoribus praestandam sunt aestimata ex Decr. OO. GG. a. 1767. d. 24. Iun. a. 1668. d. 23. Mart. CAP. VIII. N. XVI.

§. CCCCLXXIII. De novo milite per exteros conscribendo statuunt Leges (34). De armatis agmine facto *admittendis*, idem in Republ. quod alibi obtinet. Rogari debet transitus. Ex *caussis* negatur, nisi *Pacta* intercedant. Cavent de his Belgae per *Leges* et *Conventiones* sive *perpetuas* sive *temporarias*. Dantur exempla bene multa introitus negati, vel impetrata antea venia concessi (35). In caus- Militum.

(33) Quae huc spectant Decreta a. 1764—1768. *Recueil van Zeezak*, T. X. p. 145, 238, 257, 263—269, 412.

(34) *Groot Placaatboek*, T. II. p. 150, 291, 306.

(35) De his vid. M. VAN HOECKE, Dissert. *de trans-*

CAP. VIII. N. XVI. caussa nuper Leodiensi negabatur Electori Coloniensi militis Monasteriensis commoratio, ne quid sibi molestiae contraherent OO.; concessus tamen transitus innoxius (36). Ex *situ* regionum vel conterminarum vel alienis ita intermixtarum, ut vitari id territorium vix possit, orta sunt maxime *Pacta perpetua*, qualia cum Rege *Borussiae* a. 1714. d. 28. Iul. (n. 930.) cum Electore *Coloniensi* et Episcopo *Leodiensi* a. 1722. d. 4. et 22. Iun. (n. 966.). In his agitur de transeundi *tempore*, *modo*, *numero*, *annona*, *expensis*, *transfugis*, *delictis*, cett. Tempore belli, in caussa rogati transitus, maxima semper *cautio* Reipublicae est de servandis legibus *aequalitatis*; de his non observatis et violato territorio saepe *querelae*; de bene regundis difficiles interdum *deliberationes*. De transitu *vi* petito, vel peracto, ubi rogandi deest opportunitas, vel in casu *extremae necessitatis*, prostant Belgarum *gravamina*; uti et aliarum gentium de Belgis, harumque ex *necessitatis* lege excusatio.

Navium. Quod ad *naves* in *portus* vel *flumina* admissas. Non armatis plenissima est in Belgio libertas; salvis Ve-

---

transitu copiarum militarium per Territoria Belgica, Leid. 1790. Add. quas ille excitat Dissert. Leid. ALEX. HENR. VAN DER CAPELLEN, *de iure transeundi et transvehendi res per territoria flumina et maria aliena*, a. 1753. et FRED. BENJ. VAN DER CAPELLEN, *de iure belligerantium in pacatos, et pacatorum in belligerantes*, a. 1759.

(36) Decret. OO. GG. a. 1790. d. 15. et 26. Ian.

Vectigalibus. In *armatis* vulgo obſervatur, ut numerus ſuspicionem ne moveat, vel ut ipſe navium numerus, quibus portum intrare, ſine impetrata antea venia, liceat, determinetur. Prius exſtat cum Hispan. a. 1609. §. XII. Pac. Monaster. a. 1648. §. XXIII. a. 1714. §. XX. cum Gallis a. 1662. §. XXI. a. 1678. §. VII. cum Suecis a. 1679. §. VIII. cum Siculis a. 1753. §§. XIV, XV. Posterius cum Danis a. 1701. §. XIX. cum Anglis a. 1667. §. XXXIV. Excipiuntur vulgo *tempeſtas* et alia *urgens* necesſitas. De *armata* nave Anglica a. 1763., nec rogata nec data facultate usque ad *Roterodamum*, et altera Gallica a. 1768. usque ad *Amſtelodamum* penetrante, eaque posteriore *mercibus onusta*, perquam dolebant OO. GG. (37). Ne tali ſub colore honestae mercaturae noceatur, Rex Hispan. naves alienas *bellicas* amplius admittere negabat, niſi ad breve tempus, et necesſitate compulſas (38). CAP. VIII. N. XVI.

§. CCCCLXXIV. *Tempore belli* in territorio et portu neutro *hostilia* peragere est nefas; hinc vel *uſu* GG. vel *Pactis* obtinet, ut, ſi quo caſu naves duorum hostium eodem in portu commorentur, nulla non modo permittatur violentia, ſed et alterutri post 24 horarum lapſum exire demum liceat. Vnde iudicium de Anglis Belgarum clasſem Bergis Norvag. infeſtantibus a. 1666. de navi Americ. PAV- Territorium a vi hostili immune.

LI

(37) De utroque negotio *Decreta* OO. GG. a. 1763. d. 30. Iun. et a. 1768. d. 6. Maii.

(38) *Decret.* OO. GG. a. 1771. d. 4. Iun.

CAP. VIII. N. XVI. LIIONES in Texalia a. 1780. (39), et id genus similia.

Territorii protensio. Quousque territorium Gentis neutrius maritimum se extendat, intra quod fas non sit hostilia patrare, vel mercaturam exercere, etiam in territoriis ceteroquin prohibitis; praeter *Conventa*, leges navales vel mandata praedatoria plerumque explicant (40). Sed et plures hinc olim lites. In celebri *Lege navali* PHILIPPI Belgg. Principis a. 1563. definitum erat, *quousque se extenderet oculorum acies*. Ex *Doliis*, *Vadorumque* signis sunt qui definiant. *Sueci*, *Dani*, hic dissentiunt (41). Vulgaris usus est, ut, quod ex litore per *tormenta bellica* attingi potest, principis territorii esse censeatur; uti statutum in Federe Commercii cum Gallis a. 1739. §. XXI.

Quae de *territorio maritimo*, eadem de *terrestri* dixeris. Nec hosti licitum ex amico auferre bona hostilia.

Territorii submersio. §. CCCCLXXV. Hoste ingruente, insigne quidem Belgis est praesidium, sed simul extrema salutis ancora, salutem quaerere *in aquis*. Eiusmodi *aquarum* remedium quid in Belgio a. 1574. obsessae

---

(39) *N. Nederl. Jaarb.* a. 1780. p. 515.

(40) De omni hac re DE REAL, *Science du Gouvernement*, T. V. p. 476. J. J. MOSER, Versuch, T. X. P. I. p. 209. sqq. MARTENS, *Iur. GG. Eur. Pract.* p. 218. sq. VON STECK, Versuch, p. 175.

(41) Sententiarum divortia refert NEYRON, *du Droit des Gens Eur.* P. I. p. 239.

fae ab Hispanis *Leidae*; quid a. 1672. Hollandiae adversus Gallos profuerit; quid a. 1674. inter Gelros, Traiectinos et Hollandos, de his convenerit; quid nostra aetate in *Flandria* adversus Imper. IOSEPHI minas; et quid istic ex Pace Monaster. licuerit; quomodo tamen damnum datum resarcitum sit; docent abunde Annales. Durum hoc! sed longe durius, si in sua ipsorum viscera discordes saeviant cives! —— Quid aquae Belgis portendant, utinam ignorare liceret! CAP. VIII. N. XVI.

ALBINAGIVM, DETRACTVS, CENSVS EMIGRATIONIS, ET INDIGENATVS. N. XVII.

§. CCCCLXXVI. *Ius Albinagii* (*Droit d'Aubaine*) alibi explico (42). *Galli* id introduxisse dicuntur. Recte! si id ad priores Francos referas, adeoque derives ex pristino rigore erga peregrinos per *omnem Europam*, quatenus haec suos mores, instituta, ac iura Francis debeat. De isto iure inter Belgas et Gallos *exstincto* loquuntur omnia Commercii ac Pacis Federa ab anno inde 1529. usque ad a. 1739. Rex tamen Galliae durante bello idem aliquando valere iussit. Per Edicta vero eius exstinctio denuo confirmata a. 1685. d. 9. Ian. (n. 744.). Quum tamen a. 1709. iterum huic iuri submitteret omnes, qui Religionis caussa ex Gallia in Belgium profugerant, graves fuere querelae, et OO. GG. iu- Albinagium.

(42) In Praelectionibus ad *Primas Lineas Collegii Diplom. Histor. Polit.* §. 791.

CAP. VIII. N. XVII. iure *Retorsionis* usi sunt ex Edicto a. 1709. d. 31. Oct. Postquam cum Gallis penitus cessarunt Federa, ne quid dubii moveretur, an et haec pristina civium *iura* simul sublata censenda forent, neve inde ab officiariis lucripetis molestiarum locus vel praetextus superesset, maluerunt Ordines GG. ex abundanti separata conventione a. 1773. d. 23. Iul. (n. 1158.) ulterius cavere (43). Cum aliis etiam Gentibus cessat, vel ex Pactis, uti cum *Suecis* a. 1774. (44) cum *Hispanis* a. 1714. §§. XXV, XXVI, cum *Lusitanis* a. 1661. §. X., vel usu continuo, vel sicubi exigitur, valet *Retorsio*.

Detractus. Mitius est ius *Detractus*, quod in locum prioris successisse creditur. Sed et hoc abolitum, vel iure *Retorsionis* exigitur.

Census emigrandi. §. CCCCLXXVII. Ab utroque differt *census emigrationis* (vulgo *Exue*) ab eo solvendus, qui cum bonis suis civitatem relinquit: nisi obstent *Pacta* vel *Privilegia*; quorum hic ingens est copia. De eo adhuc actum cum *Electore Brandeburg.* a. 1666. (n. 580.).

Indigenatus. Aliud est, quo *Peregrini* gaudent, *ius civitatis ac fori*, etiam *aditus ad honores*. Quod utrumque im-

(43) Plura WAGENAAR, *Histor. Patr.* T. IV. p. 504. T. VIII. p. 451. *Amsteld.* T. IX. p. 405. DE WIT, *Brieven*, T. I. p. 230, 244. De Zeelandia *N. Nederl. Jaarb.* a. 1776. p. 206. Cf. DE REAL, *Science du Gouvern.* T. IV. p. 597. sqq.

(44) *N. Nederl. Jaarb.* a. 1774. p. 864. *Mercur. Histor. Polit.* h. a. P. II. p. 631.

impetratur literis, quae vocantur, *brieven van Naturalisatie*. De quo ſtatuitur vel lege civili vel privatis Provinciarum privilegiis (45). Habetur de eo cum Danis Conventio a. 1691. d. 30. Iun. §. v. (n. 785.). Iura Belgarum ad alias gentes ſe conferentium variant pro cuiusque gentis indole et lege (46). CAP. VIII. N. XVII.

RES RELIGIOSA. N. XVIII.

§. CCCCLXXVIII. Ex quo *Reformata* invaluit *Religio*, ex mutuo inter ipſos Christianos odio ſaepe necesſaria fuit ſtipulatio in Fedd. de ſervanda vel *religionis* vel *conſcientiae* libertate. Belgae, qui aliis liberum Religionis cultum permittunt, aegre ferebant, quod cultus certe domesticus, una cum ſepultura honesta, ſuis civibus denegaretur. Hinc repetendae ſtipulationes cum *Hispanis* a. 1648. §. XIX. a. 1714. §§. XXVII, XXVIII. cum *Luſitanis* a. 1661. §. XV. cum *Siculis* a. 1753. §. VII. Quae cautiones ut in posterum tuto omitti posſint (47), optat humanitas, ſpem dat ſeculi genius. Cum *Turcis* HENRICVS IV. Rex Gall. eadem ſtipulaba- Res religioſa.

---

(45) BYNKERSHOEKII, *Quaeſt. Iur. Publ.* L. II. C. XI.

(46) De his BYNKERSHOEKII, *Quaeſt. Iur. Publ.* L. II. C. XXV. p. 377—380. et *Du juge competent*, C. III. p. 22. WICQUEFORT, *Ambasſad.* T. II. p. 247. ſqq. 4to.

(47) Cf. NEYRON, l. l. P. I. p. 209. ſqq.

CAP. VIII. N. XVIII. batur a. 1604. §. IV. idque imitati ſunt Belgae a. 1612. §. LIV. (n. 269.). Cum *Perſis* eadem res est (§. CCCXLVIII.).

Obſervari ſimilia oporteret, ubi loca aliis *cedun- tur* vel *alienantur*. Qua in re maxime laudandi *Ro- mano-Catholici:* id quod in primis experti ſunt il- li principes, qui de *Quarto* Pacis Rysvicenſis a. 1697. *Articulo* inter Regem Gall. et Imper. dolebant (p. 177.). Horum exemplum ſecuti ſunt Protestantes; qui aliquando, etiam ſine *ceſſione*, intercedebant pro *religionis ſuae* asſeclis aliena ter- ritoria colentibus. Sic *Angli* et *Belgae* pro *Val- denſibus* in Sabaudia (cf. p. 331.), Sueci in Po- lonia a. 1707. Rusſi, Auſtriaci et Borusſi pro *dis- ſidentibus* in eadem Polonia. *Iudaei* in Belgio non minore habentur loco atque alii, qui tolerantur. De his contra Commercii Belg. Fedus in Hispania non admisſis aliquando doluerunt OO. (48).

De negotiis Ordinis Ieſuitarum in Belgio; de no- va GREGORII VII. Papae Rom. *Lithurgia*, ſive *ritu cerimoniali*; de alia inter Catholicos controver- ſia ſuper Bulla *Vnigenitus*; de *Archiepiscopo Ianſe- nistarum*; de *Vicario Apostolico*; de Eccleſiae Rom. *Sacerdotibus* extra Rempublicam natis non admittendis, et id genus alia, quae nonnunquam Proceribus vel invitis vel conniventibus molestias crearunt, hic dicere mitto, quippe quae magis do- mesticae ſunt curae.

CVR-

(48) *Groot Placaatb.* T. VII. p. 59. ſqq.

CVRSVS PVBLICVS SIVE POSTAE. CAP. VIII. N. XIX.

§. CCCCLXXIX. Quae olim per erat exigua, Gentium Europaearum consociatio ac communio, debetur Mercaturae. Sustentatur vero et promovetur egregie *cursu publico*. Huius institutum debetur Gallis, et ab seculo XV. omnibus placebat gentibus; non ea tamen, qua hodie, ratione. Quae enim per omnem olim Europam *privatorum* erat *cura*, ea tandem *Principum* evasit (49). Origo Cursus publici. In Europa.

Vt alibi, ita quoque in Belgio triplex est cursus publicus, qui fit per *naves*, *vehicula*, *tabellarios*, seu *veredarios*. Duos priores curare singulae solent urbes, et in mercantium utilitatem sub publica tutela egregie curant. De posteriore hic ago. Ante a. 1660. urbes aliquot suos habebant tabellarios (Belg. *reizende boden*, vel *koopmansboden*) qui mercaturae caussa literas perferebant ad varias urbes *Embden*, *Hamburg*, *Coloniam*, *Cliviam*, et ad stationes *Imperiales* in Germania et Belgio Hispanico. In Belgio.

Ge-

(49) De Postarum Instituto, origine, utilitate, et iure, ex quo invaluere, multisque controversiis et conventionibus ansam dederunt, vid. ex Germanis PFEFFING. ad VITRIAR. *Instit. Iur. Publ. Germ.* T. III. p. 207. sqq. TOSEN, *Staatk. van Europa*, in Praefat. MARTENS, *Iur. GG. Eur. Pract.* Ed. Gall. T. I. p. 131. Ex Belgis WAGENAAR, *Amsteld.* T. IX. p. 447. T. XIII. p. 303. et CORN. A PERPONCHER. SEDLNITZKY, Dissert. Leid. *de cursu publico seu de Iure Postarum*, a. 1756. d. 27. Febr.

CAP. VIII. N. XIX.

In Germania.

Generalis quidem Postarum cura per Imperium Germanicum et Belgium Hispanicum, ab Imperatore, sub *feudi hereditarii* titulo commissa olim est Principi *de Tour* et *Taxis*, salvo tamen iure alieno. Sed haec ad Germanos duntaxat pertinebant.

Nova in Belgio forma.

Isti vero, quae in Republ. obtinebat, cursui a. 1660. in Hollandia nova forma data est, et erectae Stationes veredariorum. Auctor vel certe Suasor erat quidam HENRICVS VAN DER HEIDEN, qui quum Antverpiae sub Principe *Taxio* Postarum esset praefectus, in exorta inter ipsius Ministros et Gildarum Antverpiae Decanos turba et gravi tumultu (50) male habitus, inde in Hollandiam secessit. Is cum Amstelodamensibus convenit de literis *recta via* in *Angliam* transferendis (51). Hinc ortus Contractus a. 1661. cum *Anglis* (n. 524.), renovatus a. 1668, 1677. Sed ad querelas aliarum Vrbium, nonnulla mutata, et tandem de his OO. Holland. Deliberationes, quarum a. 1708. quis exitus (52)?

Pacta.

Cum *Gallis* a. 1668. d. 24. Oct. itidem Amstelodamenses, uti et Vlissingani, de modo transferendi convenere (53).

Cum

(50) AITZEMA, *Zaken van Staat en Oorlog*, T. IX. p. 323. sqq.

(51) Rem omnem narrat AITZEMA, *Zaken van Staat*, T. X. p. 560. sqq. DE WIT, *Brieven*, T. III. p. 840. sqq. T. IV. p. 537, 861. *Decret. OO. Holl.* a. 1698. d. 10. Iun.

(52) *Decret. OO. Holl.* a. 1708. d. 25. Sept.

(53) DV MONT, *Corps Dipl.* T. VII. P. I. p. 124.

Cum *Danis* a. 1677. d. 25. Mart. id quod ortum videtur ex Federe OO. GG. cum Rege *Sueciae* a. 1675. §. XV. CAP. VIII. N. XIX.

Literae in Germaniam et Italiam destinatae tradi in confiniis solebant Magistris *Taxiis*; unde tamen multae difficultates. Creabatur paullo post VAN DER HEIDEN Hollandiae ac Zeelandiae Postarum *Magister*. Curabat hic etiam cursum consuetum *Hamburgensem*. Quum autem Principis Taxii Ministri ipsius Tabellarios ex Hamburgo Amstelodamum reduces spoliassent, indignati OO. conquesti sunt apud Imper. et Episcop. Monaster. de vi illata. Dolebant etiam Hamburgenses. Exitus a. 1662. fuit Belgis benignus (54). Conabatur idem Princeps Taxius, a. 1706. et 1712. adiutus ab Electore Moguntino tamquam eius protectore, ab OO. GG. impetrare facultatem *cursus* agendi *publici* per territoria Reipublicae *accessoria* (55). De ipsis provinciis silebatur. Sed et hic OO. GG. suos habent Postarum Magistros (56). Diu durarunt varii generis disceptationes, nec cessarunt, nisi postquam in Hollandia omnis cursus publici praefectura, quae sub Ordinum protectione privata Magistratuum urbanorum auctoritate hactenus gesta erat, per Vrbes Hollandiae a. 1749. WILHEL-

Quaestiones cum Taxiis.

Collegium in Hollandia a. 1751.

(54) Pluribus AITZEMA, *Zaken van Staat*, T. X. p. 560—568.

(55) *Decret.* OO. *Holland.* a. 1706. d. 2. Sept. a. 1712. d. 14. Iun.

(56) *Groot Placaatboek*, T. V. p. 738.

CAP. VIII. N. XIX. HELMO IV. Gubernatori dono data, ab illo vero in ipſos Holl. Ordines translata est. Hac occaſione inſtitutum ab OO. est *Collegium Praefectorum*, vulgo *Commisſarisſen van 's Lands Posteryen van Holland*, a. 1751. d. 6. Mart. quibus ex *Inſtructionis* Formula a. 1752. d. 25. Maii Postarum cura demandata est. Ab hoc tempore ex Decreto a. 1757. d. 1. Iul. abolitus est *curſus quotidianus* (Gall. *la Journaliere*, Belgice *het dagelyks Rit*) quem Princeps *Taxius* inde ab *Maſeco* (*Maſeik*) in Rempublicam a. 1749. conſtituerat. Graves inde a. 1757, 1758. contentiones, irae, deliberationes, quas memorant literae ab Legato Belg. DE BVRMANNIA Vienna ad OO. GG. perſcriptae; immo minae et acta Principis de Taxis, de literis proprio marte ſuspendendis, cett. Simplicisſima agendi via Legato videbatur, ut OO. literas ſuis expenſis ad extremos territorii ſui fines perferendas curarent; quaeque adventabant, illic reciperent; quae vero transire debebant, eas ex ſtatuta mercede per territorium transmitterent. De avertendo curſu Hamburg. et Bremenſi in Hollandiam ab Stationibus Danicis, Borusſis ac Hanoveranis a. 1757. et 1758. multa quoque fuere molimina, etiam Deliberationes in *Comitiis Ratisbonenſibus*. Nec non Belgg. cautiones, ne ſuae quas alibi habebant Stationes temere iungerentur cum *Directorio Imperiali* Principis *Taxii*, uti *Leodii* etc. Cesſarunt fluctus ex Pacto Convento cum eius Directorio a. 1761. d. 19. Ian.

Et Pacta. Cum iis, quae *Bredae*, *Moſa-Traiect.* et *Sylvaducis* habentur, a. 1722. fuerant Pacta inita. Dubitationes de his exortae nunc quoque anſam dederunt aliis Conventis a. 1761. d. 7. Nov. a. 1762. d.

d. 27. Apr. et d. 22. Nov. (57). Novum quoque Pactum cum *Electore Palatino* intercesſit ratione Oppidi *Bergazomenſis* a. 1763. d. 20. Sept. Convenit et de curſu inter Moſa-Traiectum et Aquisgranum a. 1765. d. 14. Mart. (n. 1143.). Nec non cum Rege *Borusſiae* de omnibus ſuis Ditionibus a. 1775. d. 3. Iun. cuius §. IX. iter confirmatur intra Hollandiam et Hamburgum per Comitatum Linganum. CAP. VIII. N. XIX.

In reliquis Belgarum Provinciis admodum diverſa est adminiſtratio; et varie cum his convenit: nominatim cum Traiecto Friſia et Vrbibus Transiſalanis a. 1761. d. 24. Oct. a. 1762. d. 15, 18, 21. Iun. et d. 25. Aug.

Iura. Postarum Magistri, et ipſi *Curſores*, multis gaudent *Privilegiis*.

Fides publica. Sed et hic nonnulla obſervanda! Et I. quidem de *fide* literarum publica! Hanc ſatis firmam hodie et ſanctam Gentes esſe iubent; certe *Pacis* tempore. Neque ea in bello negligenda! Excipiunt tamen caſus extraordinarios (58). Neque Literas iuris civilis *arrestis* detinere licet.

Arcana literarum. Ex *abuſu* vero invaluit *ſecretior ſcribendi modus.* Quae haud recens est inventio. Nonnunquam tamen et arcanae literae ſunt interceptae, atque extri-

(57) Quae pluribus exponit VAN HEURN, *'s Bosch*, T. IV. p. 163, 179. ſqq.

(58) Quid nupero cum Anglis bello in Zeelandia acciderit, referunt Annales. Add. WICQUEFORT, *Ambasſad.* T. I. p. 864. ſqq.

CAP. VIII. N. XIX. tricatae. In explicandis literis Hispanis mira olim fuit ſagacitas MARNIXII DE ALDEGONDE (59). *Literarum* in Belgio Arcanum ſeu *Clavis* tradi ſolet Legatis; quorum est, arcanas mittere Literas ad *Graſiarium* OO. GG. (60). Hostium curſores, belli tempore, vulgo *literas* habent *commeatus*.

Quid in alio territorio? 2. Quamdiu Pacta ſuperſunt, non opus est, quaerere, an Principes Iure GG. teneantur receptare Literas, easque *perferendas* curare.

Quae cautio erga Taxios. 3. In controverſiam a. 1757. vocatum est, an Principi *Taxio* proprio marte ſuspendere liceat curſum publicum et literas Belgg., an vero haec ad Imperatoris curam pertineant? Ipſa etiam Pacta an ſine diſerta Imperatoris ſanctione per ſe valeant (61)?

N. XX. RVPTI FEDERIS CAVTIONES.

Federum neglectus. §. CCCCLXXX. Federa diverſis modis *negligi*, *violari*, *rumpi* posſunt. Pro vario gradu variae ſunt Belgarum cautiones. Leves ſaepe adſunt *negle-*

---

(59) REIDANVS, *Annal. Belg.* L. XI. p. 302.

(60) DE WIT, *Secret. Reſol.* T. II. p. 611. His arcanis ſua aetate admodum ſtudebat IO. WITTIVS, de quibus pasſim ſermo in eius *Epiſtolis*, VI. Voll. 4to. Belgarum enim Legatis integrum erat, multa negotia cum WITTIO communicare, inſciis ipſis OO. vel Provinciis, T. IV. p. 301. f. T. VI. p. 265.

(61) Literae DE BVRMANNIA penes me ſecretae a. 1757. d. 11. Sept. et 17. Oct.

glectus, vel *abusus*. Vna ex multis particula interdum *violatur*. Belgae, quibus mitiora semper placent, certe conveniunt, etiam de his cum gentibus caverunt. CAP. VIII. N. XX.

§. CCCCLXXXI. Hinc repetendae Stipulationes, 1. ut ne violata aliqua parte, in primis ex *privatorum* factis, ipsum Fedus statim pro rupto habeatur; sed res corrigatur, vel reus puniatur. Trita iam est cautela cum *Anglis* a. 1480. §. LXXX. a. 1667. §. XXIII. (n. 82.). Adhibita deinceps in aliis, e. c. cum *Lusitanis* a. 1661. §. XVII. cum *Hispanis* a. 1714. §. XXXV. cum *Gallis* a. 1662. §. XII. a. 1739. §§. XLI. et XLIII.

Cautiones: I. De parte violata.

2. Vt ne statim, et ex privatorum actis, ad *Represalias* provoletur, neve illae admittantur, nisi sola in caussa *denegatae* iustitiae, et ex certo modo, e. g. cum *Anglis* a. 1667. §. XXXI. cum *Gallis* a. 1662. §§. XVII, XVIII. a. 1739. §. XXXIII. cum *Hispanis* a. 1714. §§. V. et VII. Singularia de his in *Induciis* a. 1609. §. XI. et *Pace Monaster.* a. 1648. §. XXII.

II. De iustitia denegata.

3. In favorem Mercaturae *rupto* tandem *Federe* cautum est, ut ne bona ac personae, in hostico commorantes, neve naves in mari, statim ab bello tamquam hostilia arripiantur; sed utrimque aliquod constituatur temporis interstitium. Id quod varie definitum, data simul facultate se suaque bona subducendi. Sic cum *Anglis* a. 1667. §. XXXII. statuti 6 menses. Cum *Gallis* a. 1713. et 1739. §. XIII. 9 menses. Cum *Hispanis* a. 1714. §. XXXVI. *integer annus*. Cum *Lusitanis* a. 1661. §. XVI. et Rege *Siciliae* a. 1753. §. XLIII. *biennium*. Idem alias inter GG. obtinet, e. c. *Anglos* inter et

III. De facultate discedendi.

CAP. VIII. N. XX. *Russos* a. 1766. §. XII. (n. 1146.) *Danos* et *Siculos* a. 1748. §. XXXIX. (62). Mitiora inter Regem Borusf. et Americanos a. 1785. §. XXIII. Quin adeo hodie temperatur Belli rigor, ut cives et bona hostium *illaesa* maneant, dummodo ne quid ipsi hostile tentent, e. c. inter *Gallos* et *Anglos* a. 1786. §. II. (63). An conciliari cum his posfunt, quae per *Anglos* gesta a. 1671. et per *Gallos* a. 1745. d. 21. Dec.

Quaefitum olim est ab Gallis, an haec extendi deberent etiam ad *naves* pleno mari navigantes? Vt clarius loquantur, cura fit Gentium. Diferte de his cautum a. 1668. cum Anglis. Solet etiam de his agi per *Privilegia* et *Leges OO.*, vel privatim transigi, ut inter Gallos et Anglos, a. 1744. M. Maio.

N. XXI. BELLI DENVNCIATI EFFECTVS.

Belli indictio. §. CCCCLXXXII. Mos olim ferebat Europaeus, ut belli denunciatio (de qua p. 409.) ingenti fieret pompa. Mittebantur primo quidem literae quas vocabant *Diffidationis*; fed deinceps adhibebantur *Feciales*, qui post introductam Artem *Heraldicam* dicti funt *Heraldi*. Hic mos fec. XVII. exolevit. Vt bellum publice *denuncietur*, fi non eam ob rationem, ut bellandi causfas habere fe iustisfimas,

---

(62) WENCKII, *Cod. Diplom.* T. II. p. 275.

(63) MARTENS, *Recueil des Principaux Traités*, T. II. p. 681.

mas, persuadeant bellantes, certe id ex gentium *neutrarum* ratione, ex mercatura, et honestate, derivatur. Dissuadent saepe alia. An tamen honestum, ut eodem, quo copiae territorium intrant, die id fiat? *Aggrediendi* vel *offendendi* suspicionem evitare amant Gentes. *Declarationes* bellicae hodiernae vel *veras* complectuntur caussas, vel *suasorias*. Tacentur fere arcana momenta. Belgae, si bellum ingruit, solent opperiri alterius partis *Declarationes*. Belgarum maxime memorabiles sunt, adversus Gallos a. 1672, 1702, 1747. adversus Anglos a. 1781. Vnicum, quo hi primi bellum indixere, exemplum memoratur a. 1702. (64). CAP. VIII. N. XXI.

§. CCCCLXXXIII. Belli *indicti* effectus sive sequelae spectant vel ad subiectos *hostiles*, vel ad *proprios*, vel ad *neutros*. Effectus.

I. In *hostibus* hi vulgo effectus, 1. *iubetur* Legatorum discessus, 2. eiiciuntur vel detinentur cives. 3. Manus iniiciuntur mercatorum navibus, mercibus, bonis, pecuniae, etiam publicae. 4. Prohibentur hostilium invectio et mercatura. 5. Intentatur praedatoribus capitale supplicium, si portus intrent, et similia; nisi Pacta de his obstent specialia. Quorum omnium etsi in Republ. quoque prostent exempla et usus, mutua tamen utilitas, et humanitas, multum ex his hodie ita mitigavit, et, nisi propria *salus* contraria suadeat, vel *cautio* praevia Erga hostes.

(64) Cum Gallis, ex sententia Viri Ampl. LIMBVRGI, WAGENAAR, *Brieven*, p. 51. Add. cum Suecis a. 1675. (n. 688.).

CAP. VIII. N. XXI. via id exigat, vel *exempla* in auctores ſuos reciſura iubeant; iste belli rigor adeo temperatus est, ut, vel tacente Pacto, ipſorum hostium inermium, ac bonorum ſecuritati caveant leges, neque pecuniae *publicae*, nec quae hostibus debentur *privatae*, attrectentur. Exempla in promtu ſunt apud Belgas.

Erga cives proprios. II. Quod ad *cives proprios!* Non minus graves ſunt ſequelae! 1. Revocantur cives, apud hostem degentes, milites, nautae, ministri, vel munera obeuntes, idque per Edicta avocatoria.

2. Prohibetur militia ac ſervitium navale, vel terrestre, gravi ſub poena.

3. Interdicuntur penitus cuivis cum hoste mercatura et navigatio, ſive ad tempus; generatim vel ſpeciatim; vel merces hostiles etiam ad alias gentes perferendae.

4. Prohibetur omnis, quam vocant, navium hostilium *aſſecuratio*, immo naves ſaepe *curſoriae*, et *literarum* expeditio.

4. Suspenditur *piscatio*.

5. Praeſcribitur modus tractandi naves neutras merce hostili vel vetitis onustas.

6. Permittuntur monenturque naves praedatoriae, ac praemia ſtatuuntur iis, qui hostibus noceant.

Haec et ſimilia alia, quae Belgarum hiſtoria abunde ſuppeditat, quum doceant, quam dura lex ſit *belli gestio:* ex mercaturae vel neceſſitate vel utilitate, vel gentium moribus, hic quoque in contraria omnia disceditur, vel ipſa deinceps Edicta mitigantur; ſuspenduntur; vel ab mercatoribus lucri avidis *eluduntur*. Haud inſolitum quoque est, ut in

in casu *necessitatis Angariae* imperentur navibus, *parangariae* rusticis, *militia* civibus, *operae nautarum* mercatoribus. Praeter voluntarios enim seu milites subitarios (vulgo *Waardgelders*) quos norunt a. 1596, 1619, 1665, 1672, 1689, 1747. reliquos etiam cives, vel horum partem, intra certos aetatis annos (id quod liberam ante Rempublicam admodum erat familiare, et Federe Traiect. a. 1579. §. VIII. sancitum) gravi sub poena extra ordinem ad arma capienda evocavit extremum belli periculum. Exempla a. 1600, 1601, 1673, 1747. CAP. VIII. N. XXI.

III. Quod ad *neutros*. Quamquam hos penitus omni molestia exemtos esse oporteat, urgente tamen necessitate, bello exorto: Erga neutros.

1. Horum navibus nautisque, usu GG. hodierno, *Angarias* imperari haud insolens (*Embargo* vocant) (65). Hoc ne fiat, Pacta Belgg. loquuntur e. c. cum *Hispanis* a. 1714. §. XXI. cum *Siculis* a. 1753. §. XVIII. Exstinctum illud penitus inter Boruss. et Americanos a. 1785. §. XVI. Mitto alios.

2. Leges promulgantur *Navales*, vel priores *renovantur*, quibus praescribitur modus, quo tractari GG. neutrae, earum territoria, merces, ac naves debeant, quaeque cavere neutros deceat, nisi aliud vel pacta vel mores iubeant.

BEL-

---

(65) MARTENS, *Iur. GG. Pract.* p. 220. Ed. Gall T. II. p. 384. DE REAL, *Science du Gouvernement*, T. V. p. 536. sqq. HUBNER, *Saisie des Bâtimens*, T. II. p. 142.

CAP. VIII. BELLI GERENDI RATIO.

N. XXII.

Dura belli fors.

§. CCCCLXXXIV. Exitus belli *Pax* est: quo tamen priusquam deveniatur, quot calamitatum mater est bellum! Experiuntur id inter se gentes *Asiae*, *Africae*, *Americae*, quae omnia in victos licere censent. Mitiores hodie sunt mores Europaei. Sed et hi norunt *Victoria uti*.

Leges bellicae.

Bellum tamen *suas* quoque *Leges* habet, *moribus* vel *pactis* roboratas, vulgo *usages de guerre*. Neque enim hosti, quod libet, licet. Quae si migrantur, illud sub titulo *Rationis bellicae* (*raison de guerre*) venire solet (66). Ad prius referuntur e. c. hostis *vulnerati* vel *occisi* honesta tractatio; captivi custodia (67); loci expugnandi petita deditio; tormentorum certa lege explosio; vexilli albi expansio; cauta buccinatoris admissio, et similia.

Rationes bellicae.

Multa tamen excusantur sub isto *Rationis bellicae* nomine. Quae obtinet vel ex *retorsione*, vel ex suprema *necessitate*, qua inhumana saepe sibi permittit hostis; permiserunt sibi quoque Belgae (68). Huc

---

(66) De omni hac re ex moribus hodiernis conf. MARTENS, *Iur. GG. Pract.* Ed. Gall. T. II. p. 339. sqq. J. J. MOSER, Versuch, T. IX. L. XVIII. C. III. et Beytrage, T. II. C. III. et Grundsatze, p. 245.

(67) Horum sors insigniter mitigata ex pacto Regis Borusf. cum Fedd. American. a. 1785. §. XXIV. Vid. n. 1242. Add. MARTENS, *Recueil des Traités*, T. II. p. 577. HERTZBERG, *Recueil*, T. I. p. 483.

(68) Durum quidem, quod Belgae crudelius agentes Al-

Huc referantur, si loca flammis deleantur, sata exurantur, amnes avertantur, ne prosint hosti, vel ut copiis tuto sint receptui. Durius illud, si in suo ipsius id fiat territorio, quo aditus hosti *praescindatur*. Exempla in Republ. quando a. 1574. insignis *Hollandiae* pars aquis submersa; a. 1583. omnes pagi Maioratus *Sylvaducensis* et tecta, flammis deleta, et fruges ac sata comsumta. Mitto alia *desperata* malorum remedia. CAP. VIII. N. XXII. Durae.

Eodem colore *excusantur* patrata *hostilia* in amico vicinae gentis territorio; *militum* transitus; immo occupatio *locorum*, in belli usum adversus hostem (69). Iniquae.

Taceo arma illicita, aliasque atrocitates et crudelitates in senes, inermes, coniuges, infantes, vulneratos, aedium et bonorum direptiones, aliaque, quibus nomina praetexuntur *Excessen van militairen*; cuiusmodi *primo* militum *furori* condonari solent. An *per contributiones bellicas* alioqui redimenda? Crudeles.

Proditores ac varia *Proditionum* genera, et *explo-* Proditores.

Albanum *servare iura belli et tamquam cum hostibus agere* docerent. Longe vero durius, quod Hollandi ac Zeelandi Praefecti navales iureiurando se obstringerent, *hostium licet dedentium se nulli parcituros; idque retinendo maris imperio institutum*, narratur REIDANO, *Ann. Belg.* p. 15.

(69) Ob haec conquerentibus, *magis e praesenti usu quam gentium iure* responderi, observabat GROTIVS, *Histor.* p. 206, 208.

CAP. VIII. N. XXII. *plorationes*, hic in censum veniant. Quorum utinam exemplis carerent Belgae!

Strategemata. Habent et hi sua, quibus glorientur, *Strategemata*. Ad ea, quae ius belli Europaeum licita censuit, referunt navem Bredanam *cespite* onustam, et rusticos *ova* ferentes; ad solita, *pharos* et *dolia ad oras sublata*, cett.

N. XXIII. EFFECTUS VICTORIAE.

Occupantur publica. §. CCCCLXXXV. Generale olim erat: *capta fiunt victoris*. Quae Regula utcumque usu Europ. cesset; ac bonis et sanguini civium, nihil ad bellum profuturo, parci soleat, neque ultra bellandi *finem*, et *scopum*, nisi in casu *retorsionis*, vis bellica extendatur: sic tamen satis durum *Victoriae ius* est! Hostis in occupato territorio sibi vindicat *Domania* et bona *publica*, *munitiones*, *naves bellicas*, *captivos*, et quidquid publicum *belli usum* praestet. Et illaesa quamquam hodie maneant privatorum bona, (p. 475.) his vulgo tamen *lytrum incendiarium* imperatur (70). Dantur etiam casus, quibus in Europa victor permissum sibi censet, ut diruat, quae non aliter occupari, *nocere* tamen possent; quae occupata *servari* nequirent, hosti vero prodessent; ut sunt *naves*, *horrea*, *sata*, *tormenta*; porro quae *servata gravius* afferrent damnum; denique quae

(70) Cf. BYNKERSHOEKII, *Iur. Publ. Quaest.* L. I. C. III. *de statu belli inter hostes*, add. Cap. IV—VII. ubi multa OO. GG. Edicta.

quae per *represſalias* auferantur vel deleantur (71). Contra vero naves et merces privatae, per praedatores hosti in mari ablatae, cedunt occupanti. Sed de his ex §. CCCCLIV. ſtatuunt GG. Leges; quae, quamquam admodum variant, in eo tamen vulgo conveniunt, ut promisſis inſuper praemiis ſuos Praedatores adhortentur. Sed aboliti etiam huius moris exemplum nuper praebuit Rex Borusſiae cum Americanis a. 1785. §. XXIII. De pugnantibus, eorumque ſpoliis et exuviis, pro ſua moderatione leges ferunt Gentes.

CAP. VIII. N. XXIII. Quid in privatis?

Habuerunt Belgae Victores hoc aliis cum GG. commune, ut, occupato aliquo territorio, ſtatim mitiora ſequerentur conſilia; protectionem pollicerentur; per Edicta molliora ex hostibus *cives* reddere conarentur; iura priora confirmarent, magiſtratuum curam gererent; mercatoribus proſpicerent; profugos revocarent, et praeſtito ſemel obedientiae iureiurando, nihil magis curae haberent, quam ut iura ſervarentur intemerata, ea ad ſtatum liberae Reipubl. quammaxime accommodarentur, et cives placidi regiminis commodis fruerentur. Quae omnia deinceps ex *Pacis* Tabulis vel reſtaurantur, vel confirmantur, vel aliis modis conſtituuntur.

RATIO STATVS, PRAESERTIM IN CONDENDIS FEDERIBVS.

N. XXIV.

§. CCCCLXXXVI. Vti quivis homo, quaevis So-

Salutis publicae promotio.

(71) Exempla dedit MARTENS, Ed. Gall. T. II. p. 349.

CAP. VIII. N. XXIV. Societas, ita Gentes sua quaeque sectantur commoda, ac varia ratione suam promovent *felicitatem* et *securitatem*; aliarum quoque gentium benivolentiam aucupantur; dummodo *iustis* omnia fiant modis ac *honestis*. Missis igitur mediis extraordinariis, praesertim *arcanis* illis *Politicis*, quae potius *Dominationis flagitia* dixeris; sermo hic est de mediis *ordinariis* et *legitimis*.

Media. Cum aliis communia. Interna.

§. CCCCLXXXVII. Sunt autem haec, si rem generatim contemplamur, omnium Gentium *communia*, vel singularum *propria*; *interna* vel *externa*. *Communia*, *interna*, sunt omnia illa, quibus promoventur vera Societatis et Civium commoda; artes, scientiae, mercatura, navigatio, fabricae manuariae; instrumenta defensionis, uti strenui milites; aequa subsidia; leges ac iudicia rite et pro *genio* populi instituta.

Externa.

§. CCCCLXXXVIII. Ad *externa* referuntur situs *territorii*, cum *maritimi* tum *terrestris*; eius cum aliis *nexus* et *vicinia*; virium magnitudo; et praecepta prudentiae, ut nemo *laedatur*; cum omnibus *amicitia* colatur; ab nimia *vicini* potentia oportune caveatur; pacta sancte serventur.

Iam olim multarum gentium erat cura *extensio limitum*. Aliae solis inhiabant *divitiis*. Illae ad *bella* et *victorias* pronae. Hae, quietis amantes, *Mercaturae* et *Navigationi* se dabant. Belgae pro sua sapientia aequitate ac moderatione, gentibus perspecta, saepe laudata et celebrata, *libertatem* politicam assecuti, nihil unquam sibi postulabant nisi Pacem *tutam* et *fructiferam*. — Vbi duo priora simul dominantur, metuant sibi vicini! — Multa hinc ab seculo XV. in statu Europae

pae Politico immutata, de quibus exponunt Scriptores *Politici*. CAP. VIII. N. XXIV.

§. CCCCLXXXIX. Quaedam tamen Belgarum sunt *propria*. De his breviter agit Vir. Cl. EVERH. OTTO (72). Hunc sequuntur alii (73). Sunt et ea *interna* vel *externa!* Ad *interna* refero: Propria. Interna.

1. Vt sanctum sit Vinculum Federis Traiect. a. 1579. quod omnes ligat socios. Hoc pereunte, periret *Respublica Federata*, nec nomen quidem superesset, et opimis Orientis et Occidentis spoliis ditarentur aliae gentes. Valeant hic: *Vis unita fortior. Frangimur si collidimur*; ut numi ostentant pristini.

2. Vt Leges Imperandi Fundamentales, quibus per duo, et quod excurrit, Secula steterunt Respublica et singulae Regiones, ne mutentur (74); nec quidquam hae vitii contrahant ex genio seculi *Philosophico-Politico-Paradoxi* (75).

3. Vt

(72) *Notitia Rerum Public. Europ.* Cap. VI. *de Belgio Federato*, Sect. VII. p. m. 428—430.

(73) Ex indigenis in genere *Tegenw. Staat der Vereen. Nederl.* T. I. p. 128. et EL. LUZAC, *Holl. Rykdom*, IV. Voll. 8vo. Ex seculo proxime elapso multa bonae frugis continet Liber: *Aanwyzing der heilzame Politique Gronden en Maximes van de Republ. van Holland*, a. 1671. 8vo. Inter exteros eminent TOSEN, *Staatkunde*, et G. ACHENWALL, ubi de Belgio agunt, et DE REAL, *Science du Gouvern.* T. VI. p. 538. sqq.

(74) Quo faciunt nupera *Acta Sollemnia* a. 1788. (n. 1268. coll. n. 1263, 1267, 1269.).

(75) Dignus, qui hic laudetur et legatur, est liber

CAP. VIII. N. XXIV. 3. Vt iisdem retineantur artibus, quibus initio parta sunt, Reipubl. commoda, salus ac prosperitas, puta, opificiis, mercatura, piscatione, navigatione, ea potissimum, quae *alienam* mercem *nostras* per oras et portus *nostris* vehat navibus (76).

4. Vt leges ad mercaturae rationes ac civium genium exigantur; peregrini honorentur; ac religioni, salvo publico cultu, sua stet libertas.

5. Cogitent cives libertatis et quietis amantes, moderata durare, neque in hanc vel illam partem flecti nimis oportere.

6. Vt, quae vulgo in aucupandis muneribus sunt partium studia, horum limites prudenter regantur, et hic regulae ex prisca nostra historia, vitae magistra, ac sapientum Belgarum dictis ac monitis, petantur.

Externa. Ad *externa:*

1. Dum parta tuentur, aliena haud appetant Belgae,

EDMUNDI BURKE, Gall. versus tit. *Reflexions sur la Revolution de France*, Ed. Amst. 1791. 8vo.

(76) De Commerciis Belgg., eorum origine, progressu, decremento, caussis, variisque iterum illa excitandi remediis, et quae abhinc 40 annis conamina sunt Procerum, Gubernatorum, Mercatorum ac civium privatorum, uti permulti bonae notae, et bonae frugis prostant Commentarii, ita prae omnibus lectu dignus est EL. LUZAC, *Holl. Rykdom;* quippe qui optimis his scriptis egregie usus multa salutaria praecepta et magni momenti monita complectitur, praesertim T. IV. p. 257—352.

gae, amicitiam et pacem colant, nec bellum provocent. CAP. VIII. N. XXIV.

2. Quaerant alii famam *gloriae*, alii *potentiae*; utramque in Belgio aequiparet *fama concordiae* (77), eaque Reipubl. apud exteros servetur dignitas et existimatio, quae valida olim regna *continuit*, retinuitque, ne omnia pervaderent.

3. Vt quae natura dedit munimenta, in primis ad mare et per flumina, sedulo curentur.

4. Vt, si non *Imperium*, quod nunquam ambierunt, certe *Potentiam Maritimam* per classes conservent navales (78).

5. Vt ne remissius incumbatur in defendenda territoria terrestria; sed tempestive cogitetur de subsidiis necessariis adversus subitum hostium impetum. Neve ea *Defensio* pendeat ab *incerto* Contributionum inter socios modulo (79).

6. Quid

---

(77) Quantum apud exteros noceat sola, quae crescit eundo, fama *discordiae*, suo saepe damno *experta* est Respublica. Testatur id DE WIT, *Brieven*, T. I. p. 160. sqq. 239. T. V. p. 67.

(78) Quo spectat M. SCHOOKII, *Imperium Maritimum, in quo cuique genti, maxime Belgis Fedd. suus vindicatur honos.*

(79) Libenter ad Rempubl. nostram hic applico verba defuncti Regis Borusf. *Oeuvr.* Praefat. p. XVII. *J'ai vu que les petits Etats peuvent se soutenir contre les plus grandes Monarchies, lorsque ces Etats ont de l'industrie & beaucoup d'ordre dans leurs affaires.*

CAP. VIII. N. XXIV. 6. Quid ab Gallis, Anglis, Hispanis, aliisque ſit metuendum vel ſperandum, ratione *territorii* Europaei, *poſſesſionum* exterarum, et maxime *navigationis* et *mercaturae*, quo cortice natat Reſpublica; ſupra ſatis expoſitum.

Circa Fe-dera.

Ineunda.

Quod vero ſpeciatim ad *Federa*, vel *ineunda*, vel iam *inita!* Inſignis est in his condendis *prudentia Belgg. conſultrix*. Quaerant alii. 1. An, et quatenus Reipublicae conducat, cum exteris Federe iungi. Non admodum conducere, ſunt qui contendant (80). At omnium temporum *experientia* (CAPP. III, IV.) docuit, aliter ſenſiſſe *Proceres Belgas* (81).

2. Poſita qualicumque *Federum* necesſitate, praeſertim cum viciniis, magnis ſaepe animis agitata quaeſtio est, praeſtetne, *Gallis* an *Anglis* arctisſime iungi, eo caſu quo alterutrius gentis optio foret facienda? Quid hac de re ſua aetate ſentiret IO. WITTIVS; quid ſaepius et hoc praeſertim ſeculo, a. 1732, 1741, 1756. ſqq. quidque nuperrime, publice privatimque, conſilii captum, dictum, ſcriptumque ſit: non exponam. Hodie utrique genti arctisſimo *mutuae Defenſionis* Federe iuncta est Reſpublica. Vtrumque ſtet diu incolume, nulla tamen implorandi ex eo auxilii ſit necesſitas, optat quisque bonus!

In-

(80) In his ſcriptor *Heilzame Polit. Maximes*, L. II. Cap. IV—X.

(81) Vt loquar cum ſcript. *Tegenw. Staat der Vereen. Nederl.* T. I. p. 139.

Inter ipsas autem Regulas de *condendo*, quaeri potest, an non omnium prima sit haec Regula: CAP. VIII. N. XXIV.

1. Vt ne *temere* et nisi urgente *necessitate* Respublica convolet ad talia Federa, unde *belli* vel *metus* vel *consociatio* possit oriri, in primis cum *potentioribus* (82). Variae Regulae.

2. Vt ne sibi manus temere liget, pollicendo de *non ineundo quopiam Federe* nisi cum *consensu* alterius. Et hic experientia consulatur.

3. Vt ad Federa *Auxiliaria* caute procedat, neque stipuletur auxilia suis ipsius copiis viribusque maiora, neve summam rei militaris curam, caveri id si possit, permittat alterius gentis praefectis.

4. Vt ne ipsi summo Imperio quid fiat praeiudicii; neve libera agendi facultas, quod ad interna, circumscribatur; *Servitutes iuris publici* parcissime admittantur.

5. In Fedd. *Commercii* et *Navigationis* quemadmodum Procerum est, videre, an *Reipublicae status* haec *exigat*; quod si exigat; quaenam, et quibus cum populis (CAP. IV.): ita maxime sollemne est

1.) Videre, quaenam iura *certa* et *utilia* (p. 240.) stipulari sibi conveniat.

2.) Considerare, an non Federa *temporaria* praestent *perpetuis*.

3.) Cavere, ut ne Belgae nimium tribuant, vel fraudi sibi sit vulgaris clausula, quae Gallice dicitur:

---

(82) Cf. WAGENAAR, *Histor. en Polit. Tractaten*, T. I. p. 181. Add. FREDRIC II. *Oeuvres*, T. I. p. 23.

CAP. VIII. N. XXIV tur: *comme les nations les plus favorisées*, propter diversam eius inter Gentes notionem, vel extensionem, vel applicationem.

4.) Quum multa dentur Federa, quae bello exorto desiisse censeantur; his tamen nonnulla contineantur, quae *perpetui* sint *usus* et ad iura spectent *civium:* hoc casu quammaxime curari solet, ut ne illa depereant vel negligantur.

5.) In Pactis *verba* adhiberi par est *aperta*, *certi* significatus, et quae *veram* principum *mentem* enuncient, nec *interpretationi* quidquam relinquant, praesertim si qua olim *disceptationibus* vel in Belgio vel alibi ansam dederint, vel rerum usus necessaria esse docuerit. Haec de *ineundis*.

Circa Inita. De *initis* 1. vix opus foret monere, omnium primam esse Regulam, ut Respublica *Federa semel inita sancte colat et observet:* nisi et hic inter GG. *tacitae* quaedam *exceptiones* disceptarentur, quarum haud minimae sunt *immutati temporis ratio*, *extensio* ad *casum* recens subortum, *concursus* federum contradicentium, et extrema *necessitas* (83). An hic prudens quoddam Ampl. BYNKERSHOEKII monitum introduci cum effectu *possit*, etiamsi vellent Principes, alia quaestio est.

2. In

---

(83) De his praeter GROTII, *I. B. ac P.* L. II. C. XIV. §. 12. sqq. cum not. disquirunt BYNKERSHOEKIVS, *Iur. Publ. Quaest.* L. II. C. X. p. 251. sqq. FAGEL, Dissert. Leid. *de Federum sanctitate*, p. 92. sqq. DE REAL, *Science du Gouvern.* T. V. p. 517. sqq. Add. SCHEID. et F. H. STRUBE, Dissert. *sur la Raison*

2. In dubio *de casu Federis*, vel in ipso Federum, siquis sit, *conflictu*, Reipublicae, *salva fide*, saepe conduxit *neutras* sequi *partes*. Exempla in promtu sunt a. 1733, 1756. Idem persuadere conabatur Rex Gall. a. 1745. CAP. VIII. N. XXIV.

3. Respublica *Pacis* indigens anxie cavere solet, ne *rumpendis Federibus* vel bello ansam det; bello vero intentato pacis amorem ne *plus iusto* extendat, semper cogitans, arma *iniusta* eumdem sortiri effectum *externum* quam vel *iustissima*.

4. Vt mortuo Principe, quocum realia sunt Federa (quidquid de successoris obligatione per se praecipiant Iuris Publici Doctores) ex usu Gentium hodierno, vel certe ex maiori *prudentia*, *successoris*

---

son de Guerre & le Droit de Beinseance, p. 15, 60. NEYRON, l. l. T. I. p. 257. Quam religiose autem OO. Belgg. *servatae fidei* famam sectati semper sint, Gentibus inde probetur, quod, quum scriptor *Heilzame Polit. Maximes van Holland*, P. II. C. VI. p. 267. publice proposuisset, *fidem esse promissis habendam*, *quatenus expediat*; Ordines publico Edicto a. 1669. d. 28. Maii, hanc Doctrinam, tamquam detestabilem, etc. damnarint, *Groot Placaatb*. T. III. p. 522. Accusantur tamen Belgae ab Vir. Nobil. DE REAL, *Science du Gouvernem.* T. V. p. 518. Accusationes regeri forte possent. An vera semper BYNKERSHOEKII, l. l. p. 259. sententia, *omnium*, opinantis, *Rerumpublicarum hanc fere indolem esse, ut neque grandem perfidiam iis recte obieceris; neque singularem animi magnitudinem ab iis facile exspectaveris?*

CAP. VIII. N. XXIV. *ris renovatio* petatur, sunt qui serio commendent, immo ad ipsam Belgicam provocent (84).

Quaestio de pristinis.

§. CCCCXC. Memoranda hic alicuius olim momenti Quaestio: an abrogato Principum Belgarum imperio Federa cum aliis Gentibus inita, ac Privilegia ab exteris in favorem Mercaturae concessa, sub Republ. libera manserint integra?

Ipsa quaestio Iuris Publ. Doctoribus relinquenda! Quod ad *historiam:* quaerendi occasio sumta est ex duobus Federibus.

1. Cum HENRICO VII. Rege Angl. a. 14$\frac{95}{96}$. d. 24. Febr. (n. 89.) *de libero* per mare *piscatu* ex §. XIV. et exemtione mercatorum personali ab oneribus §. XI.

2. Cum Rege Daniae a. 1544. d. 23. Maii (n. 125.) de *libero transitu per fretum Balticum et solvendis vectigalibus.*

His deinceps stare recusabant Reges; volebat Respublica. Tractavit controversiam BYNKERSHOEKIUS (85). Obiter hic dicere liceat, rationes ab V. D. allatas non videri probare quod petiit, ne-

(84) VATTEL, *le Droit des Gens,* L. II. §. 191. Cf. NEYRON, *Droit des Gens Europ.* etc. P. I. p. 201. Add. DE WIT, *Brieven,* T. I. p. 429. FAGEL, *de Sanct. Fedd.* p. 55. sqq. Et huc fortasse applicari possit magni Regis Borusf. dictum (*Oeuvr. de* FREDR. II. T. VI. p. 56.) *La Politique Européenne est si fallacieuse, que le plus avisé peut devenir dupe, s'il n'est pas toujours alerte & sur ses gardes.*

(85) *Iur. Publ. Quaest.* L. II. C. XXV. p. 372. sq.

neque satis accurate proposita ab eo Quaestio videtur. Sed bonum Factum! Confirmata sub Republ. libera sunt, quae aliis cum Gentibus erant, Pacta, Iura, Consuetudines, Privilegia; nominatim ea, de quibus supra quaestio. CAP. VIII. N. XXIV.

§. CCCCXCI. Quod aliis in votis est, ut, quae Iure GG. nondum constituta sint, inter ipsas constituantur; idem Reipubl. Belgicae foret optabile: ut sic servetur quies gentium, earumque promoveatur felicitas! Desiderata Iuris Gentium.

Certe 1. desideret optimus quisque, ut de *Praescriptione* ac *Possessione immemoriali* inter se conveniant Gentes ac Principes, neque illae amplius pro horum convenientia vel admittantur vel reiiciantur (86). Recens exemplum est in nupera cum Imper. IOSEPHO II. controversia.

2. Quum ex parva interdum scintilla ingens, quod omnem Europam pervadat, incendium exoriatur; vitandi belli caussa optabile foret, ut ex pacto vel compromisso vel quovis alio modo subnascentes inter GG. controversiae componerentur; non eo quidem modo, quo usi sunt olim Pontifices Rom., nec qualem mente conceperat Rex Gall. HEN-

---

(86) Dolet idem J. J. MOSER, Versuch, T. V. p. 4. sqq. et Grundsätze des Europ. Völkerrechts, T. I. p. 376. sqq. Add. NEYRON, l. l. P. I. p. 265. et quos laudat I. FR. W. DE NEUMAN, *Medit. Iur. Princ. privati*, T. I. p. 53. sq. Cf. Observ. Ill. Com. DE HERTZBERG, *Recueil des Deductions*, T. I. p. 349. Ed. 1790.

CAP. VIII. N. XXIV. HENRICUS IV. ac recoxit *Abbas St. Petri* (87). Sed tali, qui saepe Reipublicae, interdum et aliis profuit gentibus; cuius rei exempla suppeditant Belgarum Federa cum Hispanis a. 1648. cum Anglis a. 1654, 1674. cum Brandeburg. a. 1665. et Russiae propositio a. 1756. Profecto cum D. JENKINSONIO (88) dolere hic liceat vicem gentium, quae communi carent Tribunali, dum singuli suo quidem gaudeant iudice privatae sortis homines.

3. Si quid certi statueretur inter populos moratiores de compescenda Gentium Orae Africanae depraedatione; istud quoque ingenti Belgarum Mercaturae et Navigationi foret compendio.

* * *

Concludo omnia verbis Ordinum Hollandiae a. 1790. d. 20. Aug., ubi propositas publici Regiminis inter socios emendationes a. 1790. d. 21. Maii (89), in rebus quammaxime subsidiariis, suffragio suo comprobantes, omnibus Reipublicae Proceribus persuasum esse oportere censent: „ *dat het tydstip, waarin het mogelyk was, eenige groote gebreken in het*

---

(87) Salse haec risit FREDERICUS II. Rex Boruss. *Oeuvr.* T. VI. p. 197. et serio examinavit K. G. GÜNTHER, Europ. Volkerrecht, T. I. p. 187—195.

(88) *Discours Préliminaire*, p. 1.

(89) Sub titulo: *Rapport van de Personele Commissie tot het onderzoek der Provinciale Quotes en van het Finantiewezen van de Generaliteit.*

het zamenſtel der Confederatie te verbeteren, nooit nader by is geweest dan tegenwoordig: quae tamen oportunitas ſi elaberetur, non aliter fieri poſſe, quin omnia retro labantur, dum miraretur posteritas, Regiones, quae ad miraculum usque floruisſent, neque mali curandi remediis deſtitutae adhuc esſent, per horum neglectum ex ſola ſententiarum inter ſocios discrepantia, caput erigere non potuiſſe." Quod posterius uti bonorum omnium ex votis Deus diu avertat: ita prius, ſi unquam, certe hodie post conſtitutam denuo feliciter Rempublicam, quae, uti ſaepe, ſic et nuper caſurae ſimilis eſſe videbatur, ab ſumma OO. ac Gubernatoris WILHELMI V. prudentia et boni publici amore, non modo *optare*, ſed *ſperare*, hoc ipſo quo haec ſcribimus anno, *licet* et *Ratio Status* exigit! CAP. VIII. N. XXIV.

C. A-

CAPVT NONVM.

SISTENS

SOLLEMNIA, REQVISITA, ET ACCESSORIA FEDERVM BELGARVM.

CAP. IX. §. CCCCXCII. Sermo hic est de iis sollemnibus ac requisitis 1. quae Federa antecedunt, 2. quae in ipsis Federum Tabulis continentur, quaeque 3. proxime sequuntur vel comitantur. In his generatim consideratis; quid iura GG. vel mores hodierni Europaei, secum ferant vel exigant, ut norint Belgae, admodum necesse est; sed haec tractare, consilii non est mei (90). Ea tantummodo per-

Scopus et divisio.

(90) Multa optimae frugis de his ex usu hodierno peti possunt ex scriptis J. J. MOSER, Versuch, T. VIII. L. XV. p. 244. sqq. C. II. von Schliessung der Tractaten und Bündnisse, et T. X. P. II. p. 360. sqq. DE REAL, *Science du Gouvern.* T. V. p. 562, 616. Add. MARTENS, *Iur. GG. Pract.* L. VIII. C. VII. WICQUEFORT, *Ambassad.* T. II. p. 261. sqq.

persequar, quae Belgarum vel maxime sunt propria, CAP. IX.
vel ipsorum acta gesta illustrant.

§. CCCCXCIII. Antequam ineuntur *Federa*, ea praesertim, quae finem bello sunt factura, multa necessario praecedunt. Quod primo loco quaeritur, sitne finis bello imponendus? si ad usum hodiernum spectas, non ita facile inter gentes deciditur ex iis, quae praecipiunt Philosophi et Iuris Publici Doctores; pendent hic omnia ex *rationibus* quammaxime *politicis*. Vbi hae dominantur; ad *Federa* convolant Gentes. Alioqui saepe praevalent commoda, et *trahitur* bellum! Federa ineunda.

§. CCCCXCIV. Ineuntur Federa per *ipsos Principes*; per *Legatos*; per *Intercessores*; per *Arbitros*. Conventus.

Prius admodum rarum, idque in Republica Belgica, ex natura Regiminis, fieri haud potest.

Ad posteriora requiruntur *Conventus publici* (*Congressen*). Sed antequam eo devenitur: multa in antecessum *constitui* debent. Conveniri oportet in *locum*, *tempus*, *personas* mittendas, *securitatem* loco et personis tribuendam, *ritus* ac sollemnia observanda, aliaque. Plena deliberationum super his sunt Acta Belgg. publica; alibi minore negotio confici vulgo possunt.

Si quisquam autem *locus* in Europa ab Federibus celebratur, est ille profecto *Haga Comitis*, ubi Ordines cum *Generales* tum *Hollandiae* suas habent sedes, aliaque coëunt Collegia, quae ad summam Reipublicae vel Hollandiae administrationem pertinent. Illic *exteras* inter *Gentes* plurima etiam coaluere Federa, sollemni vel minus sollemni ritu contracta, quae ab *loco* nomen mutuant et *Haagsche* Locus. Federa a locis dicta.

Ver-

CAP. IX. *Verdragen of Tractaten* vocantur (n. 471, 476, 500, 502, cett.). Solus LAMBERTY *quatuordecim* edidit Volumina de iis, quibus tractandis *Hagae Comitis* praesens interfuit vel adfuit. Nulla quoque gens pro exigui territorii spatio tot gloriari potest *Congressuum* locis, quot *Belgica*. Exemplo sit Pax *Bredana*, *Neomagensis*, *Rysvicensis*, *Traiectensis*, et quae Belgis multum profutura fuisset Tractatio *Geertruidenbergensis*, si magis prosperum exitum habuisset. Variae militant pro eligendo Belgio rationes. Celebrantur et alia Federa, ab locis denominata, uti Pax *Monasteriensis*, *Madritensis*, *Pyrenaea*, *Westmonasteriensis*, et quae hodie omnium in ore sunt Pax *Passarovicia*, *Belgradensis*, *Teschensis*, *Aboënsis*, cett.

Tempus. *Tempus* inchoandi iisdem ex rationibus decidi solet ac *locus*.

Legati missi. §. CCCCXCV. His tandem constitutis mittuntur *Legati*, qui olim in Belgio *primi ordinis* et *extraordinarii*, uti in Pace Monast., hodie etiam *ordinarii*, vel *ministri* quos vocant *plenipotentiarii*. Et hos saepe, antequam de re ipsa serio deliberari potest, multum morantur disceptationes de *numero*, *qualitate*, *ordine*, *literis* commeatus, recipiendi *modo*, *salutatione*, *resalutatione*, literarum ac mandatorum inter se *communicatione*, cett. (91). Habet et

(91) Multa, quae et Belgis usui sint, hic dabunt DE REAL, *Science du Gouvern.* T. V. p. 616. J. J. MOSER, Grundsätze in Friedenszeiten, p. 527—571. L. N.

et hic Respublica, quibus glorietur, viros, uti *sago*, ita *toga* praeclaros, et ingenia rerum politicarum ſcientia et uſu ſubacta. Recenſent hos alii. Magnam praecedente ſeculo copiam miniſtrant *Literae* WITTIANAE, et ipſae Federum indicant *Praefationes*. Per hos Legatos vulgo de ipſa *loci ſecuritate*, et *territorii* quam vocant *neutralitate* ſeu *ſanctitate* ſtatuitur; aliaeque *cerimoniae*, quas *praeſentes* obſervent, inter ipſos ordinantur (92). CAP. IX.

§. CCCCXCVI.

I. N. HERTIVS, *Opp.* T. I. P. I. p. 225. ſqq. *de literis commeatus pro pace.*

(92) De his omnibus in genere copioſe DE REAL, *Science du Gouvern.* T. V. p. 616. ſqq. Quae vero obſervata ſint iis in locis primariis, quibus *Belgarum Legati* interfuerunt et *Reipublicae* commodis invigilarunt, narrant Scripp., quorum recenſum ad annos 1648, 1678, 1697, 1713, 1748—1748. dedit G. ACHENWALL, Geſchichte der allgemeineren Europäiſchen Staatshandel des vorigen und jetzigen Jahrhunderts im Grundriſſe, p. 43, 96, 130, 178, 255. Et STRVVIVS, *Corp. Hiſtor. German.* ad hos annos: quibus ex Belgis add. quae habentur obſervata de Pacis *Monaſterienſis Tractationibus*, apud AITZEMA, *Zaken van Staat*, T. VI. L. XXVIII. *Ryſvicenſis*, SYLVIUS, *vervolg op* AITZEMA, T. IV. L. XLIII. *Groot Placaatboek*, T. IV. p. 106. *Europ. Mercur.* a. 1697. P. II. p. 67. ſqq. *Aquisgranenſis*, *Nederl. Jaarboek.* a. 1748. p. 415. ROUSSET, *Recueil*, T. XX. Ne hic memorem quae in uſum rei Belgicae hauriri posſunt ex Literis ſcriptisque *Legatorum* exterorum JEANNIN, D'ES-

CAP. IX. Tractatio. §. CCCCXCVI. Quantum operae ac molestiarum devorare interdum Belgae debuerint, antequam de iis, quae fundamenti inſtar forent ad tractanda cum effectu Negotia, conveniri potuerit, docent, ut his utar, Negotiationes cum CROMWELLO (93), et LVDOVICO XIV. Rege Gall. in bello Sociali (94).

Bona officia. §. CCCCXCVII. Ne ſic quidem res ſemper confici inter Gentes posſunt. Saepe necesſe est, interveniant aliae *Gentes* ſeu *Principes*. Hi vel *bona* quae vocant *officia* interponunt (quod crebro factum ab Belgis vel pro Belgis); haec vero ſi *negentur*, vel non *ſufficiant*, *offerunt* ipſi etiam vel *rogantur Intercesſionem* (*Mediatores* vocant). Mediatio. Vtrisque et ſua ſunt *Officia* et *Iura* probe cognoſcenda.

Nostra Reſpublica, quamquam viribus impar, hoc interdum gaviſa est honore, ut inter longe potentiores non modo *bonum officium* interponeret, ſed ſua per conſilia, legatosque, tamquam *Moderatores* ſeu *Mediatores*, Pacem conciliaret. Exempla inter Rusſos, Turcas, Polonos et Auſtriacos a. 1698. (n. 830—832.), inter Danos et Suecos a. 1660.

D'ESTRADES, D'AVAUX, CARLETON, TEMPLE, MONTGON, LAMBERTY; nec non ex Gallis BVSANVAL, DESPESSES, ex Belgis HOP, VAN DER MEER, quae tamen quatuor posteriora, quod ſciam, inedita. Quinam nuperos inter Conventus emineant, recenſet I. I. MOSER, Verſuch, T. X. P. II. p. 248. ſqq.

(93) Quas pasſim narrant *Literae* IO. WITTII.

(94) *Memoires de Mr.* DE LA TORRE et DE TORCY (ſupra p. 81.).

1660. (n. 514.) quin tanta, fub WILHELMO III. Rege M. Britann., Reipublicae Belgicae illo Gubernatore inerat fiducia dicam, an efficacia, ut, quas *Legatus Venetus* inire non auderet Pacis conditiones, iidem Legati, qui prioribus intervenerant, conciliarent inter Venetos et Turcas (n. 833.) Add. n. 897, 1013, 1025., et quae hodie inter Turcas, Rusfos et Imperator. per *intercesfionem Reichenbachii* agitantur confilia. Istud etiam Belgis honorificum, quod quum Pax Monasterienfis reliquas inter gentes *Moderatoribus* indigeret, fola Belgica natio fine his Pacem cum R. Hispan. inierit, et fic in plenam fefe libertatem vindicaverit. An officia *armata* dici posfunt, ubi Princeps *invitus* ad pacem cogitur? Hoc bis fecisfe Belgae leguntur. *Armatae* intercesfionis exempla praebet hiftoria. CAP. IX.

Oblatae tamen aliquando, fed *reiectae* quoque Belgarum, *intercesfiones* occurrunt a. 1650. inter Gallos et Hispanos, a. 1788. inter Rusfos et Suecos, una cum Regibus Angliae et Borusfiae.

Ad rariora refer, quod Imperator Turca fuam bellantibus opem *moderatricem* obtulerit.

§. CCCCXCVIII. Fuit et tempus, quum Respublica alienis egeret moderandi auxiliis. E. g. Regis Sueciae inter Anglos et Belgas a. 1667. (n. 597.). Per amicam Anglorum intercesfionem, fin malis, promisfam armorum opem dies 10. Aug. Paci, Neomagi ab Gallis fignandae, est praefcriptus (n. 704. et 707.). Belli *finem* per intercesfionem Regis Hispan. a. 1674. (n. 671.) ab Anglis caro emit Respublica. In nupero cum Anglis bello reiecta Rusfiae et Sueciae Pacis conciliatione (n. 1208, 1212.), rem moderante Rege Galliae, cum Pro Belgis.

CAP. IX. *praeviae* Pacis conditiones, tum et ipsa *Pax* cum Anglis coaluit a. 1784. (n. 1225, 1233.) Belli *minas* semel, quod sciam, per turbas, redemit Respublica!

Arbitria. §. CCCCXCIX. Ab *intercessione* admodum discrepant *Arbitria.* Nihil olim in Europa, et in Belgio, ante liberam etiam Rempublicam, his arbitriis frequentius (95). Inter Gentes potentiores *arbitrum agere*, summum est honoris fastigium (96). Et hoc honore mactati sunt OO. Belgii Feder. (e. g. n. 501, 714.). Contra ipsi quoque in Arbitros de re sua compromittebant (n. 581.). Sed admodum fuit singulare, quod inter Anglos et Belgas de Federe *Commercii* et *rebus* Ind. Orient. quodam casu *arbiter* rogaretur *Regina* Hispaniae a. 1674. d. 19. Febr. §§. VIII, IX. Magis singulare, ut idem illud cum Anglis Fedus Pacis, quo hoc constitutum, non per Belgas Legatos, sed ex intercessione Reginae Hispaniae per ipsius Legatum, pleno ab OO. GG. mandato instructum, coaluerit. Cuius intercessio id etiam effecit, ut eodem anno d. 11. Dec. simul conficeretur Fedus nobilis-

(95) Plenus est exemplis MIERIS, *Charterboek der Graven van Holland*, T. I. p. 147. T. II. p. 261, 321. T. III. p. 2. b. cett.

(96) De omni hac re DE REAL, *Science du Gouvern.* T. III. p. 336. et A. G. S. HALDIMAND, Dissert. Leid. 1739. d. 3. Mart. *de modo componendi controversias inter aequales, et potissimum de arbitris compromissariis.*

lissimum Commercii et Navigationis. Est et aliud genus *Arbitrii*, si Gentes inter se compromittant in *Tribunal* ac *iudices exteros*; ut Belgae fecere et Elector Brandeburg. a. 1665. (n. 567.) (97). CAP. IX.

Stipulantur etiam gentes, ut, si quae ex Pacto supersint controversiae, vel novae subnascantur, ad *arbitros* ex ipsis subiectis captos, et iureiurando subiectionis solutos, caussa referatur. Exempla cum Hispanis in Federe Monaster. §. XXI. cum Anglis a. 1654. §§. XXVIII, XXX. Aliud cum Imperatore a. 1785. d. 8. Nov.

Praeviae conditiones.

§. 10. Sic tandem sive per Legatos, solos, sive coniunctim cum *Intercessoribus* vel *Arbitris*, ad *praevias* Pacis *Conditiones*, delabuntur, quae *fundamenti* loco positae vulgo *Praeliminaires* vocantur. Interdum sine his Federa fiunt. Quaenam circa praevias eiusmodi Stipulationes sit Gentium *observantia*, exponunt Scriptores. Ipsae Conditiones, vel integrae vel mutatis nonnullis, in Federum *Tabulas* transfunduntur, vel novum *Fedus* his superstruitur. *Signantur* et illa! In *vanum* abeunt nonnunquam. Experti id sunt Belgae. Nec semper his confidat gens, quae caute procedat!

Inter *praevias* conditiones et ipsum *Fedus*, quantum saepe morae, et quam variae morandi *caussae* vel *praetextus* intercedant, docent acta gesta in *Pace Traiectensi* inde ab a. 1712. d. 18. Maii, usque ad a. 1713. d. 30. Ian.; inter Gallos et Anglos a. 1783.

---

(97) Alia addit laudatque BYNKERSHOEKIVS, *du Juge competent*, Cap. XXIII. p. 272.

CAP. IX. 1783. d. 20. Ian. et d. 3. Sept. Anglos et Belgas a. 1783. d. 2. Sept. et a. 1784. d. 20. Maii.

Tabulae Federis. §. 101. Vbi ipsas Federum *tabulas* in ordinem redigi oportet: multa adhibentur sollemnia. Variant etiam *requisita* pro diversa Federum specie. Sunt quaedam omnium *communia*, alia singulorum *propria*. Praeter *Proöemia* ac sollemnes saepe *Introductiones*, quae nonnunquam *caussam* Federis simul et *finem*, aliaque rerum *momenta* et gentium *necessitudines* aperiunt (uti n. 537, 765.); nec non praeter *clausulas finales*: de ipso *argumento* statuere satis est proclive ex iis quae CAPP. III, IV. et VII. dicta sunt.

Rerum capita, prout in omnibus, potissimum vero in Fedd. *Pacis* et *Commercii*, locum obtinent, sunt vel *essentialia*, vel *accidentalia*; quae posteriora pro re nata variant. Suntque ea vel *generalia* vel *specialia*.

De Pace generalia. In *Pacis* tabulis ad *generalia* maxime referuntur, 1.) perpetuae Pacis *promissa*. 2.) Omnium hostilium ex certo quodam tempore, pro locorum intervallis determinato, *cessatio*. 3.) Praeteritorum oblivio. 4.) Captivorum vario modo relaxatio. 5.) Contributionum bellicarum dispositio.

Specialia. Ad *specialia*, omnium primo loco, pertinent, 1.) ea quae Paci sociandae fundamenti erunt loco, sive id sit ipsum rei caput, quod bello ansam dederit, sive damni dati resarcitio, sive locorum restitutio, sive quod vocari solet, *status quo*, vel *uti possidetis*. 2.) Renovantur vel instaurantur ea Federa, quae cessasse possint videri, vel revera cessaverint, vel nova deinceps promittuntur contrahenda.

3.) In-

3.) Interdum et alia, quae bello causfam non dederunt, fimul definiuntur. CAP. IX.

§. IƆII. Federa *Commercii*, quae hodie inter Gentes utramque faciunt paginam, ante feculum vero XVI. vix ulla inibantur, ad *tria* plerumque *capita* refpiciunt, ad ea nempe quae *pacis tempore*; ea quae alterutro populo cum tertia gente bellis immixto; ea denique quae exorto inter ipfos pangentes bello, obfervanda veniunt. De Commerciis.

I. *Tempore Pacis*, quae olim generalia omnibus Commercii Federibus inferta, de *libera navigatione* et *mercatura*, de colenda *amicitia*, de *protectione*, cett. prolixa oratione narrabantur, ea tamquam iura et officia omnium gentium communia parum hodie curari folent, fiquidem ad haec conftituenda vix amplius Federibus opus est: illa tamen Tempore pacis.

1.) Omnia obiter memorantur, fed fimul determinantur,

2.) Civium ac mercantium invicem *iura*, et *privilegia* — circa *merces* et *bona*, *horum vectigalia*, *vifitationes*, *detentiones*, *publicationes*, *bonorumque fuccesfiones*: — circa *perfonas*, *harum religio*, *iurisdictiones*, *advocati*, *iudices*, *confules*, *mercatorum libri* — circa *pangentium fubiectos*, aequa plerumque cum *amicisfima* quavis gente *iura* et *privilegia*; rarius cum ipfis territorii *civibus* vel *fubiectis*.

3.) Navium naufragarum cura.

4.) Earumdem *armatarum* vel *privatarum* cum integro onere in portus admisfio, ac discesfus.

5.) Additur vulgo ad certos annos *Matricula* five *Index Mercium* (*Toltarif*); ex quibus certo modulo vectigalia percipere fas est; qui interdum feparatim fancitur, eodem quo Fedus tempore du-

CAP. IX. raturus, vel ſerius ocius immutandus. Stipulantur quoque, quae ex Legibus contrahentium privatis valeant (98).

Orto cum tertio bello.

II. Exorto inter alterutrum Contrahentium cum tertia gente bello, definiri ſolet:

1.) Quae ſint generalia alterius gentis neutrius iura et officia circa hostem amici belligerantis vel circa gentes alias neutras.

2.) Speciatim vero ſancitur libera cum his mercatura, neque ullo modo praepedienda, niſi ubi *portus* obſidentur, vel *vetita* ad hostem vehuntur.

3.) Accuratior mercium vetitarum deſignatio.

4.) Literarum maritimarum exhibitio.

5.) Permisſa navis viſitatio.

6.) Navium cum mercibus connexio.

7.) Apprehenſiones navium maritimae; recuperationes; iudicia; publicationes.

8.) Prohibita manuum in naves ad belli uſum iniectio ſ. *embargo.*

Inter ipſos pangentes.

III. In caſu belli inter ipſos pangentes exorti, determinari ſolent

1.) Caſus, quibus bellum movere non liceat, vel represſaliarum causſae.

2.) Ad-

(98) Vltima Belgarum, quo reſpici posſit, Matricula ex Lege OO. GG. edita est a. 1725. d. 31. Iul. Sed multae deinceps in ea immutationes, ampliationes; neque in ipſo Belgio unquam pari pede introduci potuit. Hiſtoriam huius Matriculae, etc. habet *de Memorie van Gecommitt. uit de Collegien der Admiraliteiten op de tweede Vrage van de Commisſie van 't Defenſiewezen,* a. 1786. d. 5. Oct. p. 6.

2.) Adduntur cautiones circa privatos mercatores, eorum merces, reliquasque possessiones, earumque vel navium detentiones (*arresta*). CAP. IX.

3.) Facultas vel modus *discedendi* vel *morandi*.

4.) Privatorum praedatorum officia, 5.) et captivorum cura.

Statuitur interdum, quid agendum, si *communis belli caussa* sit cum tertia gente (99).

His nonnunquam separatim adduntur *Articuli*, cum *publici*, qui maxime spectant ad concessos Principum *titulos*, *ordinem*, et Federis *sermonem*; de quibus CAP. X. tum et *arcana* adiiciuntur Capita, quae (uti ipsa interdum Federa) diu latent, et quae diversas ob rationes Federi inserta Gentes nolint (p. 209. sq.).

§. IↃIII. De re ipsa postquam convenit, sequitur sollemnis vel minus sollemnis *Subscriptio* ac *sigilli adiectio*. Sed et hic non desunt lites de *modo*, *loco*, *ordine*, *signandi* et *subscribendi*. Quae ut amputentur, singularia quaedam hodie placent, in *Pace Aquisgranensi*, et alias, observata. Sanctiones.

Ad maiorem *sanctitatem* sollemniter olim *iurabatur* in Federa. Sic adhuc a. 1615. in Fedus Hanseaticum, a. 1648. Pacem Monaster. a. 1660. Pacem Pyrenaeam.

Sed quid inter *Gentes* iusiurandum prodest, si *fidei* publice *datae* sua non stet reverentia! Dabantur olim *obsides*, vel *constituebantur fideiussores*, ex sua

(99) Exemplum in Fed. *Regis Boruss.* cum *Anglo-Americ.* a. 1785. §. XXI.

CAP. IX. ſua quique gente capti; etiam *Miniſteriales*, vel *Vaſalli*, vel *Vrbes*, tamquam *Pactorum conſervatores*; quorum id *onus*, non *honos*, vel *ius* erat. Sed quae ab uſu receſſere; iisque ſubſtituta est *garantia* exterorum: de qua ſtatim.

Ratihabitiones. §. IↃIV. Sequitur ipſorum Principum *ſanctio*, ſive quam vocant *Ratihabitio*, cuius *tempus* in ipſis fere Tabulis definitur. Etſi enim rationis est, ut, quae cum plena *tractandi* et *concludendi* poteſtate (*Volmachten*) per *Legatos* fiant, Principem obligarent; moribus tamen *Europaeis* receptum cenſetur, ut ne *obligatus* habeatur, antequam ſollemniter rata fecerit, quin *ſubſcriptae* Federum Tabulae ultrocitroque *permutatae*; interdum et *promulgatae* ſint: quod et ipſum in plenis *Mandatis* nonnunquam diſerte adiicitur.

Cautiones in Belgio. §. IↃV. Atque haec Belgis eo magis ſunt obſervanda; quo plura proſtant:

1. Exempla Fedd. vel Pactorum, quae ab Legatis, utut ſignata, ab alterutro contrahente rata tamen facta non ſunt: ut cum *Gallis* a. 1652. (n. 446.) cum *Anglis* a. 1657. et a. 1678. d. 10. Ian. (n. 480, 701.), cum aliis in Federe *Quadripartito* a. 1718. d. 2. Aug. (n. 958.) cum *Danis* a. 1621. d. 24. Maii (n. 296.), cum *Hispanis* a. 1668. d. 9. Apr. (n. 607.), cum *Electore Bavariae* a. 1698. d. 28. Aug. (n. 827.), alia: cuiusmodi tamen Federa tamquam probae notae edita circumferuntur. Vnde cautio (1).

2. Dan-

(1) Aliarum Gentium exempla collegit DE REAL, *Science*

2. Dantur, quorum *Ratihabitio* variis ex causfis CAP. IX.
diu *protracta*, adeo ut nonnunquam ipsa Federis vis perimeretur; vel necesfitas cesfaret; vel novis illud ansam litigiis praeberet. Exempla cum *Gallis* a. 1627. d. 28. Aug. (n. 326.), a. 1662. d. 27. Apr. (n. 532.) cum *Lusitanis* a. 1661. d. 16. Aug. (n. 526.), cum *Danis* a. 1649. d. 9. Oct. (n. 427. et 428.), cum *Suecis* a. 1656. d. 11. Sept. (n. 479.), cum *Electore Brandeburg.* a. 1678. d. 26. Febr. (n. 703.), et, quod nuper Reipubl. haud parvo constitit, *Fedus Neutralitatis armatae* (n. 1194.).

3. Dantur contra exempla Legatorum, *mandata* in damnum principis sui excedentium, rem indigne ferente principe, qui promisfa vel *rescidit*, vel *rata habuit*. Laudatur in his CAROLI VI. Imperatoris facinus a. 1739.

Prudentiae quoque est, ut penes quem quosve sit ius, ratum habendi, certo constet. De Rege et *Senatu* Sueciae, sua aetate, Belgarum legatos monebat IO. WITTIUS. Nostra in Republica (2) ma-

---

Science du Gouvern. T. V. p. 644. Add. AITZEMA, *Zaken van Staat en Oorlog*, T. XIII. p. 636.

(2) Omitto quaestionem, quae mei non est fori, *an singulis Belgii Fedd. Provinciis ius sit belli gerendi et pacis ineundae?* Et alteram: *an singulae Provinciae Fed. Belgii legatos hunc in finem posfint mittere?* Et, si posfint, quibus in causfis? quas controversias tractat Ampl. BYNKERSHOEKIUS, *Quaest. Iur. Publ.* L. I. C. XXIII. et L. II. C. IV. Sermo hic est iis de rebus, quae ad universos socios sive *Belgium Federatum* pertinent.

CAP. IX. maximae id curae esse solet, ut ex Lege Fundamentali 7 adsint suffragia. Dantur tamen nonnulla et recentis etiam memoriae in contrarium exempla. An et quatenus non consentientes inde obligentur, quaeratur ab Belgis; non curant haec gentes. Vt initis stent Pactis, Reipubl. exigit Fides! Inter plura Belgarum, quae et exteri adducunt (3), *exempla*, et quibus probe uti norunt! grave et memorabile sub WITTIO fuit Fedus cum Danis a. *1666.* ab OO. plurimis ratum habitum, sed ipsum argumentum ignorantibus (p. 302. sq.). Singulare est promissum WILHELMI III. Regis M. Brit. a. 1697. de procuranda per principes *ratihabitione* (n. 813.).

Permutatio. §. IↃVI. *Permutantur* invicem *Tabulae* sive *Literae* (vocatur vulgo *Uitwisseling der Brieven van Ratificatie*); quae antequam permutatae sint, valere nondum plene Fedus, disertis aliquando verbis declaravit *Rex Gall.* De cessatione *ab omni vi bellica*, donec *permutatae* essent literae (n. 713.), a. 1678. separatim cavebatur.

Promulgatio. §. IↃVII. Sequitur *Promulgatio*, magnis saepe sollemnitatibus peracta.

Exsecutio. Quae tamen omnia non prohibent, quominus de *Exsecutione* oriantur *difficultates*, separatis interdum *transactionibus* componendae, quae potissimum spectant ad occupata reddenda, ad munimenta di-

(3) DE REAL, *Science du Gouvern.* T. II. p. 307. LAMBERTY, *Memoires*, T. IX. p. 565. T. X. p. 293. D'ESTRADES. *Brieven*, T. VI. p. 301.

diruenda, limites constituendos, praedam post initum Fedus restituendam, copias e territorio dimittendas (n. 1080.) et similia. CAP. IX.

§. IↃVIII. Vt Federa bona fide inita serventur, accedit aliarum saepe gentium quae vocatur *Garantia* seu *Guarantia*. Alibi recte quidem dicitur: *Pacta privatorum tuetur ius civile*; *Pacta principum bona fides*. Praeclara quoque vox est Imperatoris CAROLI V. *Etiamsi vel totum genus humanum mentiretur*, *Imperatori tamen promissorum fides est servanda*. Nonnulli insuper *Garantias* considerant tamquam *rem odiosam*; alii tamquam *superfluam* et *noxiam*, ex insigni ipsius in Europa *abusu*, siquidem varii inveniuntur non praestandae garantiae *praetextus*; vel ipsa Garantia bello praetextum suppeditat: quam iccirco, non secus atque *arcana Federa*, Pactis expulsam nonnulli DD. volunt (4). Amant tamen GG. minus *potentes* adversus potentiores promissam aliorum potentium fidem et auxilia, ubi iura et pacta tuenda. Idque barbara voce *garantia* magis commode explicatur quam *fideiussione*, quae ab priore valde discedit. Olim ubi maior religioni habebatur honos, saltem externus, solo iureiurando Principum stabant Federa, ita ut, si quis se hoc liberare vinculo conaretur, *Pontificis* Rom. indulto, eadem fere ratione qua civibus S. Imperantis, opus sibi esse censeret. In-

Garantiae.

Indoles.

---

(4) Sic certe inter *Gallos* (idque non sine ratione) MABLY, *Oeuvr.* T. I. P. II. p. 128—134. T. III. p. 107. Neque de his benignius iudicabat Rex Boruss. *Oeuvr.* T. I. p. 75.

CAP. IX. Instituuntur *Garantiae* variis occasionibus. 1.) In servandis *Pacis* et id genus aliis stipulationibus.

Obiecta. 2.) In designanda posseslione territoriali ac limitibus. 3.) In causlis *successionis* vel firmandis legibus fundamentalibus, cett. Singularis est *garantia* pro Federibus *postea ineundis*, OO. cum Anglis a. 1678. d. 3. Mart. §. III.

Varia divisio. Suntque eae vel *perpetuae* vel *temporariae*; *generales* vel *speciales*; *aequales* et *inaequales*. Varia exinde quoque *obligatio*. Varii *effectus!*

Praestatio. Alia ab ipsis Federatis praestantur; quod fiebat per *Pacis Conservatores*, ex ipsis gentibus captos, vel per data *pignora* vel *obsides*, (p. 506.). Alia praestantur ab *tertio* principe.

Exempla. §. IƆIX. Nec desunt exempla cum *Belgarum*, qui pro aliis, tum *exterorum*, qui pro Belgis eorumque sociis fidem interposuerunt suam. De priori casu testantur (n. 514, 617, 731, 810.) (5). Primum quod sciam exemplum *garantiae* separatis Tabulis in Europa promissae est a. 1609. d. 17. Iun. de *Induciis* servandis (n. 253.). Famosae hoc seculo sunt OO. garantiae, pro *sanctione pragmatica* (n. 1003.), pro *successione Domus Hanoveranae* in *M. Britannia* (n. 907.), pro disiunctione Regnorum *Hispaniae* et *Galliae* (n. 910.) §. XIII. pro *Ducatu Parmensi* et *Placentino* (n. 991.). An pro *Ducatu Silesiae?* (6).

In-

(5) Add. DE WIT, *Brieven*, T. I. p. 588, 592. T. IV. p. 127.

(6) Quid in his actum WAGENAAR, *Histor Patr.* T. XIX.

Inter Belgas aliasque Gentes exteri saepe *garantiam* interposuerunt suam; uti Rex Galliae et Imperator (n. 584, 585, 1248.), Angli (n. 879, 907, 939.) utrique Reges (n. 253.). Nuper et Reges Angliae et Borussiae, pro servandis Legibus Reipubl. Fundamentalibus (n. 1263, 1264, 1267, 1269. (7). Est et alia species *garantiae*, qua ipsi contrahentes inter se generatim spondent de servandis nonnullis, (n. 533.). CAP. IX.

§. IↃX. Sed dantur quoque e contrario *Protestationes Principum*, quibus vel ipsi contrahentes, vel aliae gentes in his illisve capitibus *ius suum sibi salvum* esse velle, publice testantur, ut oportuna id occasione vindicent. Dantur Iuris Publ. scriptores ac Politici, qui has vel *inutiles* vel *superfluas* esse opinentur, diversis tamen ex rationibus, nonnunquam inter se plane oppositis. *Effectum* certe *Federis* non morantur; sed deinceps interdum multas creant molestias. Nihilominus Gentibus admodum frequentantur, nec Belgis inusitatae. Docent haec Acta Pacis *Neomag.*, *Rysvic.*, *Traiect.*, *Aquisgran.* aliaque (n. 711, 815, 818—820, 822, 882, 888, 918—920.). Protestatio.

Singulares sunt literae Comitis DE EGMOND protestatoriae prima vice de *Ducatu Gelriae* in *Pace*

T. XIX. p. 517. add. *Mercur. Histor. Polit.* a. 1746. P. II. p. 679. et a. 1747. P. II. p. 106. et n. 1025.

(7) Locis hic laudatis addi possunt *Nieuwe Nederl. Jaarboeken*, a. 1788. p. 1288. et Mr. DE HERTZBERG, *Recueil des Traités*, T. II. p. 444, 452.

CAP. IX. *ce Rysvic.* exhibitae, et *contraria protestatio* seu *Contraprotestatio* OO. Gelriae (n. 815.), nec non OO. GG. tamquam *Exsecutorum* Testamenti WILHELMI III. de servandis heredum Arausion. iuribus ex Pactis (n. 1073.).

Renunciatio. §. IↃXI. Sed ut *Protestationibus*, ita et *Renunciationibus* uti solent Gentes, sive *tacitis* sive *disserte* adiectis. *Tacitae* referri possunt ad *praescriptionem*, quatenus ea vel Iuris naturalis vel Gentium esse censetur. Quae quanta inter DD. controversiarum sit materies, notum est, (p. 491.). Disertae *Renunciationes* ipsis plerumque Pactis includuntur. Ex his Respublica olim insignia cepit incrementa, vel decrementa. Sed et magni interdum constitit. Fiunt et separatim. Famosa est Renunciatio Iuris MARIAE THERESIAE, LVDOVICI XIV. uxoris in Regna Hispaniae (n. 515.); quam quidem, quibus ex caussis argumentisque? Rex Galliae deinceps irritam reddere conabatur; quantum vero operae, eius observandae ergo, impenderint OO., CAP. II. satis apparuit. Memorari et hic merentur alia *Renunciationis* Pacta (n. 896, 900, 959.) per quae de *Belgio Hispanico*, nostrae Reipublicae vicino, quammaxime cautum fuit.

CA-

CAPVT DECIMVM.

SISTENS

RITVS CERIMONIALES, IMMVNITATES, ET HONORES PRINCIPVM AC GENTIVM INTER SE, IN PRIMIS LEGATORVM.

§. IƆXII. Gentes cum Gentibus agunt: CAP. X.

1. Vel per ipſos principes, coram et praeſentes. Diviſio.
2. Vel per literas et codicillos.
3. Vel per legatos ac mandatarios.

His ſua cuique ſunt ſollemnia, honores, iura.

Multa in his Belgarum cum aliis gentibus ſunt *communia*, multa *propria*.

§. IƆXIII. *Cerimoniae* gentium ac principum pro diverſo reſpectu posſunt conſiderari vel *hiſtorice*, vel *politice*, vel *iuridice*. *Finis* harum est vel *amicitiae* vel *exiſtimationis* teſtificatio, vel *ſplendoris* conciliatio, vel plures ſimul concurrunt. Varia rituum contemplatio.

Ab aulis principum multi etiam *ritus* in vitam civilem ſunt translati.

Om-

CAP. X. *Omnes* fere *eventus*, qui inter gentes obtinent, ſuas habent cerimonias; quin dantur ***negotia*** mere *cerimonialia*, quae labente tempore *variant*.

Infinitae quoque ex aemulatione et honoris aucupio de his inter gentes oriuntur contentiones, potisſimum ubi agitur de ſervanda dignitate et exiſtimatione (8): Sed Cerimoniae nostro paullatim ſeculo in multis imminuuntur. Salſe eas ridebat FREDERICVS II. Rex Boruſſ. et negligebat (9).

In Belgio. Quod ad *Belgas*, applicari huc potest, quod alibi de *Maris uſu* et *fructu* BYNKERSHOEKIVS (10); *his*, ait, *contenti Ordines*, *aliorum ambitioni*, *ſibi non damnoſae*, *haud difficulter cedunt*.

§. IↃXIV.

---

(8) De ritu Cerimoniali ſeparato Commentario egit J. J. MOSER, Verſuch, T. II. L. III. C. I—VI. ubi et ſcripta recenſet, ex quibus ad rem nostram maxime commendari merentur IO. CHR. LVNIG, *Theatrum Ceremoniale Hiſtorico-Politicum*, Lipſ. 1720. II. Voll., ROUSSET, *Supplement au Corps Diplomatique* T. IV. et V. DV MONTII; et idem ROUSSET, *Memoires ſur le Rang & la Préſéance entre les Souverains de l'Europe & entre leurs Ministres répréſentans ſuivant leurs différens caractéres, pour ſervir de Supplement a l'Ambasſadeur & ſes Fonctions de Mr. de* WICQUEFORT, Amſt. 1746. 4to. et quos plures laudant NEYRON, l. l. P. I. §. 102. ſqq. MARTENS, l. l. L. IV. C. II. et K. G. GÜNTHER, Europäiſches Volkerrecht, T. I. p. 199. ſqq.

(9) *Oeuvr.* T. I. p. 61. T. V. p. 229. f. T. XI. p. 158. f.

(10) *Quaeſt. Iur. Publ.* L. II. C. XXI. p. 345.

CAP. X.

Principes praesentes.

§. IↃXIV. Pro eo, quo inter Gentes mactatur honore, dignitate, et existimatione, Respublica saepe *Imperatores*, *Reges*, aliosque Principes, praesentes, suo sinu complexa est, vel loci amoenitate allectos, vel rerum utilium cognoscendarum cupidine ductos, vel tutum sibi receptaculum quaerentes, vel simpliciter iter facientes. Quemadmodum autem, his praesentibus quinam sint habendi honores, quaeve observanda sollemnia, per omnem Europam, testante Cl. MARTENSIO, grave est definire, atque ipsae gentes pro *tempore*, *ordine*, et *dignitatis gradu*, perquam *variare* solent: ita et in Belgio obtinet. Exstat quidem OO. Holl. decretum a. 1653. d. 4. Aug. ut ne *exteri Principes* territorium *Hollandiae* intrent, nisi *rogato* ante et *impetrato consensu*; sed simul eodem Decreto declarabant OO. de *sollemni receptione* nihil quidquam certi et quod generalis foret usus, statui posse, siquidem illud pro *tempore* et *caussa* variare debeat. Hoc decretum post CAROLI I. caedem tempore fugae CAROLI II. conditum esse, haud dissimulat ipse WITTIUS (11).

Quibus vero honoribus ac sollemnibus reapse in Belgio recepti sint, exponunt historici ac rituum scriptores. Sic e. c. sollemniter iterato receptus est FREDERICUS Elect. Palatinus a. 1631. sq. (12). Sic

(11) DE WIT, *Brieven*, T. III. p. 21. f.

(12) Priorem receptionem, quando cum uxore, filia Regis Angliae, Vlissingam appellens, post plurium dierum in Republ. moram ad fines deductus est, cuius ex-

 pen-

CAP. X. Sic CAROLVS II. post patris regicidium ab OO. Rex M. Brit. habitus, diu in Belgii oppido *Breda* moratus; ab Anglis iterum Rex salutatus, ad eosque rediturus, magna cum pompa a. 1660. Hagam deductus, in Comitia cum OO. GG. tum Hollandiae admissus (13).

Sic WILHELMVS III. Rex M. Britann. creatus, et a. 1691. Hagam Comit. redux, regio more receptus (14).

Mit-

---

pensae ad *f* 500,000 computabantur, narrat BAVDARTIVS, *Gedenkwaerd. Geschied.* L. V. p. 20. sqq. posteriorem, quum Rex Bohemiae creatus, post acceptam cladem, in Hollandiam profugisset, idem BAVDARTIVS, *Gedenkw. Geschied.* L. XIII. p. 35. L. XIV. p. 33. Add. LVNIG, *Theatr. Cerem.* T. I. p. 263. et ROUSSET, *Suppl.* DV MONT, *Corps Dipl.* T. V. p. 780. WAGENAAR, *Histor. Patr.* T. X. p. 406. T. XI. p. 162. sq.

(13) Sollemnia describunt DV MONT et LVNIG, l. l. et WAGENAAR, *Histor. Patr.* T. XIII. p. 8-10. De re ipsa OO. GG. a. 1660. d. 14. Maii, in AITZEMA, *Zaken van Staat*, T. IX. p. 831—875. DE WIT, *Brieven*, T. III. p. 878. *Secret. Resol.* T. II. p. 253. et Libr. *Verhael van de reis en vertoeven van* KAREL II. *Koning van Engeland in Holland*, Hag. 1660. fol. cum fig. et *kort en bondig verhael van den Oorlog met Engeland*, a. 1667. p. 9. sq. 4to.

(14) Haec descripsere G. BIDLOO, *komste van Zyn Majesteit* WILLEM III. *Koning van Grootbritt. in Holland*, Hag. 1691. fol. cum fig. N. CHEVALIER, *Histoi-*

Mitto MARIAM DE MEDICIS, Regum Gall. matrem et viduam (15), aliosque, quos sua praesentia praesertim Amstelodamum condecorantes enumerat WAGENAAR (16). Nec loquor de iis, qui penitus *incogniti* nostras lustrabant terras, vel *titulo tenus* incognitos se ferebant; quales nostro seculo Reges Borussiae, Daniae, Sueciae, Imperator IOSEPHVS, et qui ex scopo suo primo recensendus erat loco Russorum Imperator PETRVS ALEXOVICIVS (vulgo *Czaar Peter*) (17). CAP. X. Incogniti.

Singulare est, quod Rex Borussiae FREDERICVS WILHELMVS in Dynastia *'t Loo* in Gelria, sua praesentia honorata, cum Legato Anglo Fedus consociavit a. 1788. d. 13. Iun. (n. 1267.).

Belgae re cognita curare solent, ut hi iter non modo *secure* ac *quiete*, sed et, quantum fieri possit, *commode* faciant.

Vtrum praesentes in Belgio, quemadmodum alibi, *Iurisdictione* territorii sint exemti, barbara voce, Exemtiones.

---

stoire de GUILLAUME III. *par Medailles*, a. 1692. p. 157. sqq. fol. Add. LVNIG, l. l. T. III. p. 1267. *Europ. Mercur.* h. a. P. I. p. 115.

(15) Cf. C. BARLAEVS, *Medicea hospes*, a. 1638. fol.

(16) In libro, cui titulus: *'t Verheugd Amsteldam, ter gelegenheid van het plegtig bezoek Hunner Doorl. en Koningl. Hoogheden* WILLEM, *Prince van Oranje en Nassau, en Zyne Gemalinne* FREDRICA SOPHIA WILHELMINA VAN PRUISSEN, a. 1768. p. 4. sqq. 8vo.

(17) WAGENAAR, *Histor. Patr.* T. XVI. p. 379. T. XVIII. p. 124. et eius vitae Scriptores.

CAP. X. ce, an *exterritorialitate gaudeant*; disquirunt Iuris Publici Scriptt. (18). Taceo de eorum *bonis* mobilibus et immobilibus, quantum ad onera.

Principis Auriaci

§. IↃXV. Quod ad Principes *Arausiaco-Nassavios!* Hi, ex muneribus et dignitatibus gravissimis fixas in Republica sedes habentes, quamquam Leges Belgarum sequuntur praesentes, ab prima tamen aetate cum ex *statu* suo, tum aliis ex rationibus, privatim multa habent sollemnia, multis mactantur honoribus, et variis gaudent privilegiis et immunitatibus; unde, praeter illa, quae in auspicandis publicis muneribus obtinent, etiam quod ad personas, ab reliquis civibus, vel honoratissimis, distinguuntur; cum generatim in gratulationibus, tum speciatim in die *natalicio*, cura *baptismatis*, *tutelis*, *adulta aetate*, *nuptiis*, *obitu*, *publico luctu*,

honores et sollemnia.

---

(18) In his BYNKERSHOEKIVS, *du Juge competent* (ad calcem WICQUEFORTII, *Ambassad.*) C. III. et IX. DE REAL, *Science du Gouvern.* L. V. p. 163. sqq. et quos laudat MARTENS, *Iur. GG. Pract.* p. 125. qui vulgo pro affirmante stant sententia. Et sic certe ex usu GG. Nonnullas tamen recenset distinctiones DE REAL, petitas ex iusto, ex regulis politicae specialis, ex observantia, vel ex circumstantiis. Admittit nempe eam, ex generali regula, et, si quis Princeps, *sciente ac probante territorii domino*, iter faciat; si quas praestat, copiis *auxiliaribus* ipse praesit; contra vero negat, si sine facultate impetrata intret; si stabilem illic sedem figat; si alterius se Principis servitio addicat, vel quovis officio illic fungatur.

ctu, *sepulturis*, *testamentis*; porro in *inaugurationibus*, *ordinibus equestribus*, *titulis*, *administrandis domaniis*, *exemtionibus* ab quibusdam *oneribus*, aliisque, quae ex professo si tractentur, prolixo indigeant Commentario, neque accurate cognoscas nisi in auxilium advoces Scriptores quammaxime Germanos, qui *de iure privato Illustrium ac Principum Europae* agunt; in quibus eminent B. G. STRVVIVS, IO. FR. W. DE NEVMANN, I. H. CHR. DE SELCHOW, I. STEPH. PVTTERVS. Multa quidem in his sunt *iuris*; nonnulla *honoris* vel rogati vel impertiti; alia pendent ex *meritis* domus Illustrissimae, cuius virtute Respublica nata, et ad summam perfectionem est educta. CAP. X.

§. IↃXVI. Sunt et alia, Principibus etiam absentibus, gentibusque communia, hic observanda: in quibus eminent 1. ordo, 2. tituli, 3. arma et insignia, 4. usus linguae, ac 5. fama. Principes absentes.

§. IↃXVII. Quod ad *Ordinem!* Vt natura homines, ita Gentes inter se sunt aequales. Sed uti in Societate civili *variis ex caussis* illa aequalitas cessat: ita inter GG. multa dantur caussarum momenta, quae naturalem hanc aequalitatem vel imminuere videantur, vel certe nonnullis in casibus maiorem minoremve *honorem* concilient. Multum hic quoque datur gentium ambitioni, aliisque artibus vel rationibus. Eaque se *maxime* manifestant in *scriptis* vel *legationibus*. Quum autem unaquaeque gens suam tueri dignitatem et locum conaretur; infinitae inde natae sunt contentiones. Vnde mirum non est, si de *ordine* vel, ut vocant, *praecedentia*, ingens quoque scriptorum cum *Politicorum* tum aliorum sit copia, qui variis ex fonti- Horum ordo.

CAP. X. tibus, vel ex gentis suae favore, aliisve caussarum momentis, de hoc argumento egerunt (19). Provocari solet ad *gentis* vel *familiae* regnatricis *antiquitatem*, ad maiorem *territorii* extensionem, ad plurium *regnorum coniunctionem*, ad maiorem *potentiam*, ad plura imperii *iura* Principi tributa, ad *titulos* eminentiores, ad *facta* illustria: alii ad alia. De his qui decidat, deficit *Iudex* (20). Valent multa vel usu GG. generali vel privilegiis vel pactis expressis vel tacitis. Quae in Europa hodie obtinent, huc fere redeunt; ut 1. ab Rom. Catholicis Pontifici Romano ordinis praerogativa tribuatur; non item ab aliis, neque adeo etiam ab Belgis. 2. Vt Imperator Rom. German. reliquos praeeat. 3. Hunc sequantur Reges. 4. Regibus locum cedant Respublicae. Inter ipsos vero Reges

---

(19) Praeter virum Cl. K. G. GÜNTHER, Europäisches Völkerrecht, T. I. p. 200. qui de hoc negotio accurate egit, et alios laudat, hic in censum veniant, ex Gallis DE REAL, *Science du Gouvernement*, T. V. p. 75. sqq.; ex Germanis J. J. MOSER, Versuch, T. I. p. 35. sqq. Ex Belgis WICQUEFORT, *Ambassadeur*, L. I. Sect. XXIV. et XXV. p. 683. sqq. BYNKERSHOEKIVS, *Quaestion. Iuris Public.* L. II. C. IX. ADR. C. DE BACK, Dissert. *de iure praecedentiae ex iure GG., Publico Belgii, et iure civili*, Leidae 1763. d. 29. Dec.

(20) Quam parum autem ex iis, quae dicuntur, regulae statui possint, docuit prolixe K. G. GÜNTHER, l. l. p. 198—279.

ges grande saepe est certamen (21). Plura inter CAP. X.
Regum Galliae et Hispan. Legatos iurgia experta est *Haga Com.* (22).

Et Belgarum.

§. IↃXVIII. Respublica *Belgica* uti lubens locum cedit Regibus (a quibus tamen una cum Venetis *regiis* mactatur *honoribus*), ita alios sibi praeferri gravate tulit. Hinc plures olim controversiae cum *Venetis*, *Sabaudis*, *Helvetiis*, *Electoribus*, aliis. Ex OO. GG. Decreto a. 1639. d. 26. Nov. §. 1. Legati nostri locum cedebant Venetis. Iubebantur a. 1667. servare Vindobonae ordinem post Reges ac Rempublicam Venetam (23). Exstitit tamen et hoc seculo de eo litigium in Vrbe Constantinopoli. Nitebantur Veneti *maiori antiquitate*; Belgae maiori *potentia ac dignitate*. Corpus *Helveticum* et *Genua* Belgicae cedunt. Gravior Reipublicae fuit controversia cum *Electoribus* et *Principibus* Imper. Rom. Germ. (24). *Germanos* si audias, certe in Aula Imper. ex *Capitulatione* Impp. et usu vetusto, praeirent Electores. Sed si ad eorum *semiplenum*, quod vocant, Imperium

---

(21) Non huius est loci de his agere. Legi hic possunt MARTENS, *Iur. GG. Pract.* L. IV. C. II. K. G. GÜNTHER, l. l. p. 218. sqq.

(22) Quae narrat et ridet BYNKERSHOEKIVS, *Quaest. Iur. Publ.* L. II. C. IX. Add. DE REAL, *Science du Gouvern.* T. V. p. 75. sqq. et K. G. GÜNTHER, l. l. p. 231.

(23) DE WIT, *Secret. Resol.* T. II. p. 612.

(24) ROUSSET, *sur le Rang* etc. C. XXVI. p. 145.

CAP. X. rium respicias: unde Germanis ratione totius Systematis *Halbsouverainen* vocantur (25), contra vero Rempublicam penitus *sui iuris* consideres: haec illos honore praecederet. Atque ita OO. statuerant iam ante Pacem Monaster. a. 1639. d. 26. Nov. §. I. nec non in mandato Legatorum extra ordinem ad Imperatorem missorum a. 1667. (26). Lis iudice carebat. Exempla in utramque partem prostant. An fraudi esse Belgis potest id quod in aula fit Imperatoris? Evitatur controversia. Et generatim *vitari* multa solent, quae amice definiri nequeunt (27).

Tituli. §. IↃXIX. In *titulis* honorificis in Gentes earumve Principes conferendis haud parca est *Respublica*, dum suus quoque in his ne denegetur honos. Quos aliis impertire soleat Respublica honores, exponunt ROVSSET et LVNIGIVS (28). Si quid novi in his concedendum, vulgo id *pacto* transigitur, vel publicis tabulis promittitur. Hoc modo sumtum ab Duce Borusf. *regium* titulum a. 1701. agnovit Respublica (29). Rex Lusitan. a. 1748.

---

(25) K. G. GÜNTHER, l. l. p. 122. et 248.

(26) DE WIT, *Secret. Résol* T. II. p. 612.

(27) K. G. GÜNTHER, l. l. p. 267. sqq. MARTENS, Ed. Gall. T. I. p. 168. Laud. CHR. GOTFR. HOFFMAN, Dissert. Lips. 1721. *de fundamento decidendi controversias de praecedentia inter liberas gentes.*

(28) ROUSSET in *Suppl.* DV MONT, *Corps Dipl.* T. V. passim. LVNIG, *Theatr. Cerimon.* Th. III. p. 379.

(29) J. J. MOSER, Versuch, T. I. p. 247. sqq.

a. 1748. ab Pontifice Rom. titulum *fidelisſimi* ſol- CAP. XI lemniter adeptus (30), ab OO. GG. eodem mactatus est honore (n. 1077.). Electori *Leodienſi* ex Decreto a. 1753. impertitus titulus: *Doorluchtige Hoogheid* (31). Supremo Ordinis Maltenſis Magistro a. 1749. *Principis* et *Eminentiae* (32). Quam cautus fuerit WITTIVS in titulo *Regis Galliae*, docent eius literae (33). Titulus *Imperatoris* ab PETRO Rusſorum autocratore a. 1721. asſumtus, a. 1739. ſqq. demum ab Gentibus agnoſci coepit. Geruntur et tituli ex principatibus, quos non amplius posſident.

§. IↃXX. Quod ad ipſos *Ordines Belgas!* Hi OO. Feder. prima aetate varie deſignabantur. Vt ſuus ſibi honos tribueretur, ex Decreto a. 1639. d. 26. Nov. §. 1. definitum est, ut inſignirentur titulo: *celſi et praepotentes domini*, Gall. *Hautes Puisſances*, in alloquio vero *hauts et puisſans Seigneurs*; neque ex §. XI. admitteretur formula, *Vos Seigneuries*. Ampliatum Decretum est a. 1653. d. 7. Febr. Vt vero de his ſtatuendi facultas cuivis est genti, ita penes alias Gentes est, ſtatuere velintne ea admittere nec ne. Et haec Pactis vulgo quaerebantur. Respublica Belgica a. 1640. cum Suecis de hoc titulo ſibi tribuendo convenit. Ab Rege Galliae, post multas fluctuationes, in Federe a. 1717. d. 4. Ian.

(n.

(30) WENCKII *Cod. Dipl. GG.* T. II. p. 432.
(31) *Nederl. Jaarboek.* a. 1753. p. 875.
(32) *Groot Placaatb.* T. VII. p. 51.
(33) DE WIT, *Brieven*, T. I. p. 429.

CAP. X. (n. 946.) demum obtinuit. Vt Imperator concederet, a. 1710. doni ministris dati nomine, ad *f* 10000 constitisse, narrat WAGENAAR (34). Mitto alia de Regibus *Angliae*, *Daniae*, *Hispaniae* cett. Servatur in Archivis OO. GG. *Codex*, cui nomen: *het Titulboek ter Griffie van Hun Hoog Mogg.*

Insignia. De *Armis* et *Insignibus* agnitis, reiectis, dubiis, controversis, abunde exponunt scriptores *Heraldici*.

Lingua. §. IↃXXI. *Linguae Latinae* usus inter Gentes et in *aulis* olim longe frequentior. Federa fere omnia Latine conscribebantur. Manserunt in multis veteris moris vestigia. Praerogativam hodie adepta est *Lingua Gallica*. Nec desunt tamen de usu *Linguae* controversiae! Insignem olim curam *Belgicae* linguae habebant OO. GG. Vetabantur adhuc a. 1667. legati nostri ad Imper. extra ordinem missi, alia uti lingua publice, quam *Belgica* vel *Latina* (35). Quid circa *linguarum* usum in Fedd. observetur, et quam caute procedatur; docent plures controversiae ac Literae Principum vel Legatorum *de non praeiudicando*; et separati de his Articuli: uti in Pace *Aquisgr.* a. 1748. (n. 1072.); nuper adhuc in Federe nostro cum Anglis de usu *Linguae Gallicae* a. 1784. d. 20. Maii (n. 1233.). Add. alia in Fedd. inter Britann. et Hispan. a. 1714. d. 12. Febr. et a. 1763. d. 10. Febr. (36).

§. IↃXXII.

---

(34) *Vaderl. Histor.* T. XVII. p. 382.

(35) DE WIT, *Secret. Resol.* T. II. p. 612.

(36) MARTENS, *Recueil des Traités*, T. I. p. 48.

CAP. X.

§. IↃXXII. Quominus Principum exterorum fama vel gentis cuiusquam dignitas laedatur, vel honos offendatur per libellos famosos, ac licentiam, in primis Typographorum et Novellarum; ab prima aetate sedulam Belgarum fuisse cautionem ac curam, fidem facere posſit magna copia Decretorum et Edictorum, ab OO. GG., vel Provincialibus, vel Curiis eorum ſupremis promulgatorum: quae hic enumerare longum est. Ad Principum, de *laeſa* ſua *dignitate*, quae graves in Republica proſtant, querelas, ſaepe illa renovata ſunt vel ampliata (37). Regi Sueciae a. 1705. de *novellarum* ſcriptoribus dolenti ex uſu reſponderunt OO. GG. Magnanimum fuit reſponſum WILHELMI III. Principis ad gravamina IOH. DE WIT, ſua vice de *libellis famoſis* a. 1672. in ſemet ſparſis, apud ipſum conquerentis. Quae defuncti Regis Boruſſ. de typographis fuerit ſententia, aperiunt eius ſcripta. Republica intestinis motibus, ut factum non ſemel est, agitata, ſcriptorum eiusmodi famoſorum nec finis est

Fama.

Libelli famoſi.

(37) Duo hic promam Edicta ſuis verbis a. 1744. d. 29. Maii: *Reſol. der Staten Generaal tegen de buitenſporige licentie van de Courantiers in het inſereren van Nouvelles en Reflectien, die voor Souvereinen, Vrienden en Geallieerden van den Staat en andere odieus zyn.* Et a. 1745. d. 29. Ian. *Publicatie van 't Hof van Holland, tegens het maken, drukken, verkopen en disſemineren van Geſchriften, die aanſtootlyk zyn voor gekroonde Hoofden en andere uitheemſche Perſonagien. Groot Placaatboek*, T. VII. p. 818, 820.

CAP. X. est nec modus. Nunquam tamen gravior exarsit licentia et impunitas quam in nuperis dissidiis. Post rem constitutam generalis OO. *amnestia* sese etiam ad *Novellarum* scriptores extendit, excepto uno alterove; ac frenum iterum iniectum est Typographicae, non libertati, sed licentiae.

Principum Acta per Scripta. §. IↃXXIII. Agunt etiam Gentes inter se *per Scripta*. Variae scriptorum publicorum sunt species; varii etiam modi, quibus negotia inter Principes *ope literarum* geruntur. Ad tria potissimum referri solent capita, 1.) ad literas Cerimoniales sive Epistolas, variis occasionibus, vel ab ipso principe vel eius iussu ab aliis missas. 2.) Ad libros *Memoriales* (*Memoires*), quorum plures sunt species, vel 3.) ad Acta publica, uti sunt *Mandata*, *Instructiones*, *Manifesta Bellica*, cett. quae quanti saepe in Europa sit momenti ut ne negligantur, exponunt alii (38). Quae in his sollemnia observent Belgae, cognoscitur ex Libro, cui titulus: *Le Cérémonial de la Republique des Provinces Unies*, quem edidit ROUSSET (39).

Per Legatos. §. IↃXXIV. At vero rarissime negotia inter Gentes *solis* confici possunt *literis*: invaluit iam mature usus *Legatorum*.

Mit-

(38) In his ex usu hodierno otium fecere MARTENS, *Iur. GG. Pract.* p. 128—135. Ed. Gall. p. 221. sqq. J. J. MOSER, Versuch, T. II. Cap. III. p. 153. sqq.

(39) DV MONT, *Suppl.* T. V. p. 773. sqq.

Mitruntur hi ab exteris ad Belgas, vel ab Belgis ad exteros. De prioribus primo dicam loco, admixtis quae omnium sunt communia. CAP. X.

Tractandi de his ordo.

Vt rite procedam, attingam:

1.) Legatorum in Europa et Belgio originem.

2.) Illorum ordinem inter sese.

3.) Honores et Privilegia cum generalia tum specialia.

4.) Admissionem, et recusationem.

5.) Mandata et formulas Instructionum.

6.) Sollemniorem receptionem et aditum.

7.) Functiones ac modum tractandi negotia.

8.) Muneris cessationem (40).

§. IƆXXV.

---

(40) Non est animus hic excitare ingentem numerum scriptorum, qui de *Legatis* ac *legationibus*, argumento sane difficili sed iucundo et utili, Belgis quoque necessario, tractant. Per lancem saturam eos exhibet MARTENS, Ed. Gall. p. 235. cui addi possunt nonnullae, quae in Academia Leidensi defensae sunt *Dissertationes*, exteris parum cognitae; LVDERI SCHÖNE, *de Sanctitate Legatorum*, a. 1697. d. 11. Iun. IAC. VAN SWINDEREN, *de Legationibus*, a. 1717. d. 14. Iun. ANDR. VISSER, *de legato iure GG. sancto*, a. 1751. d. 28. Sept. AL. VAN SVCHTELEN, *de legato iure GG. sacro*, a. 1759. d. 30. Iun. IANVS HOGEVEEN, *de Legatorum origine et sanctimonia*, a. 1763. d. 24. Mart. G. QUARLES, *de ea iuris GG. specie, quae in Legato conspicitur*, a. 1771. d. 1. Iul. P. I. TEDINO VAN BERKHOVT, *de Iure legatorum*, a. 1776. d. 9. Mart.

CAP. X. §. IↃXXV. I. Origo legatorum, prouti communi GG. Europae usu hodie se habent, admodum recens est. Ignorabant hos Romani. Qui primitus mittebantur, *extraordinarii* erant omnes. Huiusmodi complures prima aetate vidit Respublica Belgica. Ex communi commodorum ratione ab *extraordinariis* siue *temporariis* facti sunt *ordinarii* atque *perpetui*. Ab isto tempore horum privilegia, honores, immunitates, iura, firmo magis pede, quantum inter Gentes! *moribus* vel *pactis* constitui coeperunt. Multa in his debentur *Paci Westphalicae*.

I. Origo legatorum.

II. Ordo inter se.

§. IↃXXVI. II. Legatorum variae sunt species. Omnia hic pendent ab Gentium *institutis* vel *moribus*; spectantque magis ad externum *splendorem*, *honores* et *emolumenta*, quam ad ipsum *munus*, *fidem*, ac *privilegia*.

Legati primi ordinis, qui per excellentiam Gall. dicuntur *Ambassadeurs*, personam Principis mittentis repraesentant, siue ut dici solent *charactere repraesentativo* gaudent. Hi olim *temporis*, nunc etiam *missionis* ergo, sunt vel *ordinarii* vel *extraordinarii*; ex Anglis primus in Belgis ordinarius fuit WILL. TEMPLE.

Legati secundi ordinis, quamquam eiusdem sint sanctitatis ac primi, *eodem* tamen Charactere *repraesentativo* non gaudent. Huc pertinent:

1. *Ablegati*, qui Gall. *Envoyés* dicuntur, et hi sunt vel *ordinarii* vel *extraordinarii*, sed hodie generali magis voce *extraordinaire Envoyés* appellantur, ordinariis pares.

2. *Residenten*, quos vocant; qui utrum *tertium* efficiant ordinem, an sub *secundo* comprehendantur, non

non una est inter GG. sententia. Ex *honoribus* distinctio peti solet. CAP. X.

Dantur et alii, qui, utcumque sine stabili ordine, *publicis* quidem *ministris* sensu lato accensentur, sed non omni iure et honore, ac priores, gaudent. Quo refer varii generis deputatos, quibus Gallica nomina, *Chargés des Affaires*, *Conseillers de legation*, *Secretaires d'Ambassade*, *Ministres sans caractère*, *Commissaires*, *des Negotiateurs sans qualilé*, cett. (41).

Ad *Pacis* negotia mittuntur quammaxime *Ministri*, quos vocant, *plenipotentiarii*, quasi dixeris *pleno* ab principe mandato instructos, qui secundo ab aliis ordini hodie adscribuntur.

Habent et Belgae speciale quoddam *Legatorum* genus, exteris Gentibus olim vel incognitum, vel non agnitum, *Deputatos extraordinarios* (*extraordinaire Gedeputeerdens*). Ex denominatione olim dubitabatur, utrum ius legatorum haberent. Ortae inde difficultates! Exempla in Suecia, et Polonia (42). Hodie Legatis secundi ordinis aequiparantur. Belgarum propria.

Mi-

---

(41) Quos recenset DE REAL, *Science du Gouvern.* T. V. p. 49. NEYRON, l. l. T. I. p. 149. MARTENS, *Iur. GG. Pract.* L. VII. C. II. qui et plures laudat *scriptores* p. 242.

(42) Referunt haec WICQUEFORT, *Ambassadeur*, T. I. p. 135. sq. DE WIT, *Brieven*, T. VI. p. 151. Add. BYNKERSHOEKIVS (*de foro legatorum*) Edit. Gall. *du iuge competent*, cum not. BARBEIRACII, Cap.

CAP. X. Mirum videri posſit, in enumeratione *legatorum*, ex OO. Holl. Decreto a. 1651. d. 29. Mart. eos qui *Envoyés* vocantur, ſilentio praeteriri, niſi hic ad uſum iſtius ſeculi ſpectes, quo vix alii, niſi *Ambasſadeurs* et *Reſidenten* mittebantur (43). Habetur Legatorum ordo apud Belgas, aliud agendo, in Decreto OO. GG. a. 1700. d. 26. Iul. (n. 839.) (44).

III. Privilegia in genere. §. IϽXXVII. III. Privilegia et honores Legati ſpectant vel ad eum a quo mittitur, vel ad eum ad quem mittitur, vel ad iura et honores tertii.

Quemadmodum Legatos ſolus mittit S. Imperans. (Et ius Belgarum *Legatos etiam primi ordinis* mittendi ab omnibus GG. agnoſcitur) ita quoque ſolus is est, qui Privilegia Legatis concedenda determinat, vel pactis de iis ſtatuit, vel, quae iure naturali et gentium ſuis deberi Legatis cenſet, tuetur.

Sunt haec Privilegia vel omnium ordinum legatis communia, vel iis, qui primi ſunt ordinis, propria. Ad

---

Cap. XIII. p. 138. *Tegenwoordige Staat der Vereenigde Nederl.* T. I. p. 268. J. J. MOSER, Grundsätze im Friedenszeiten, p. 189.

(43) *Groot Placaatb.* T. VI. p. 275.

(44) De *ordinis* praerogativa inter legatos ratione Principis, nec non inter Principem minorem *praeſentem* et legatum maioris *abſentis* agit, et exemplis ex Hiſtoria Belgica petitis illuſtrat BYNKERSHOEKIUS, *Iur. Publ. Quaeſt.* L. II. C. IX. An is tamen recte praeſentem *Principem* praeferat Legato ex eo principio, quod alter ſit *mandatarius?* dubitari poſſe videtur.

Ad *communia*, generatim spectata, commode referri posse videtur, quod CAP. X.

1.) Cum omni Comitatu habentur *sancti* et *inviolabiles*.

2.) Exemtae sunt iurisdictionis.

3.) Ius habent Asyli,

4.) Et immunitatem ab tributis.

5.) Iure capellae et cultu Religionis gaudent.

6.) Plena utuntur functionis libertate.

7.) In discessu donantur.

Ad *propria* primi ordinis vulgo referuntur:

1.) Sollemnis in adventu per tormenta salutatio.

2.) Honorifica Principis admittentis receptio, et, si petatur, publicus introitus.

3.) Ius Pilei in praesentia Principis.

4.) Distinctior in festis sollemnibus locus.

5.) Ius *Vranisci*, ac 6.) titulus *Excellentiae*.

§. IƆXXVIII. a. Ex eo, quod Principem referant suum, vel, ut loqui amant, ex *Charactere repraesentativo*, Legati sunt *sancti et inviolabiles*, adeoque ab omni iniuria, cum Principis admittentis tum aliorum, *tuti* praestandi, et iniuriae gravius *puniendae*. De hac *sanctitate* conveniunt omnes DD., omnes gentes (45). a. Sanctitas.

Quod

(45) Ex peregrinis vid. DE VATTEL, L. IV. C. VII. §. 81. NEYRON, T. I. p. 134. MARTENS, Ed. Gall. T. II. p. 274. DE REAL, T. V. p. 116–130. et 268. Ex Belg. BYNKERSHOEKIVS, *Juge competent*, C. V. §. V. p. 7. WICQUEFORT, *Ambassad.* T. I. p. 808. et quas ex Academia Leidensi dedi Dissert. §. IƆXXIV.

CAP. X. Quod si usquam, certe *Belgarum* Legibus cautum est, ac severa de hac prostant Edicta, in primis Lex OO. Holl. a. 1651. d. 29. Mart., quam exhibet DE REAL, et iure vocat *une Declaration importante* (46).

Extendit ea se sanctitas, inde ab primo adventus in territorium momento, per omne Legationis tempus, etiam ad reditum atque indicto iam bello. Notandi hic vero sunt Turcarum mores, qui exortis alicuius momenti dissidiis Legatum in carcerem coniiciunt, et tamquam obsidem *septem turrium* castello detinent.

Ex iniuria Legato *Belgico* HOP a. 1700. Vindobonae ab militibus illata arrepta fertur occasio generalis Edicti *Imperatoris*, de legatis Religionis Protestantium ab omni violentia tutandis.

b. Exemtio generalis.

§. IƆXXIX. b. Aliam habet originem *exemtio* ab omni gentis, ad quam mittitur, *imperio*; ex *fine* nempe repetenda; quae et barbare *exterritorialitas* vocatur. Vi cuius, una cum comitatu et rebus, quae legationi inserviunt, censetur extra territorium, in quo degit, constitutus, et eius gentis *iurisdictioni* non subiectus. Neque hanc *iurisdictionis* immunitatem quisquam negat; quamquam in *maiore* vel *minore* extensione variant gentes (47). Suntque in

(46) DE REAL, T. V. p. 37. Exstat et AITZEMA, T. VII. p. 291. LAMBERTY, T. II. p. 160. WICQUEFORT, *Amb.* T. I. p. 809. et DU MONT, *Suppl.* T. V. p. 776.

(47) Diversas sententias recenset DE REAL, T. V. p. 215.

in his nonnulla obſervanda et diſtinguenda, cum in causſis tum aliis in rebus. CAP. X.

§. IↃXXX. In causſis *civilibus*, ut alibi, ſic in Belgio generalis est Regula, quod foro *civili* non ſubſint *Legati* neque eorum *familia*, nec *domestici* neque *res*; ſed causſae remittantur ad Principem mittentem. Exſtant quidem in Belgio in contrarium nonnulla prioris aevi exempla; in iisque olim vacillavit ipſa *Curia Hollandica* (48); ſed cesſavit omnis fluctuatio, post editum hac de re memorabile OO. GG. Decretum a. 1679. d. 9. Sept. (49) quo prohibitum, ut ne *Legati* vel alii *publici ministri*, *venientes*, *permanentes*, *transeuntes*, aeris alieni ergo, ulla afficiantur molestia, in ius vocentur, vel *arresto* quod vocant detineantur, neque ipſi, neque domestici ſui, neque bona. Huius autem Decreti monitos esſe volebant omnes incolas. Quod OO. Decretum prolixo illuſtrat commentario Ampl. BYNKERSHOEKIVS (50), et inſigni mactat elogio Ill. DE REAL (51); nonnulla tamen de- Iurisdictionis civilis.

p. 215. ſqq. Add. J. J. MOSER, Verſuch, T. IV. p. 322. ſqq. BYNKERSH. *Juge comp.* C. VIII. cum not. BARBEYRAC. WICQUEFORT, *Ambasſad.* L. I. S. XXVII. p. 817. ſqq. DE VATTEL, L. IV. C. IX.

(48) Vt docet BYNKERSH. *Juge comp.* L. XIII. p. 138. ſqq.

(49) *Groot Placaatboek*, T. III. p. 310. et confirm. T. VII. p. 521. Add. *La Paix de Nimegue*, T. IV. App. p. 645.

(50) *Juge comp.* Cap. IX.

(51) DE REAL, T. V. p. 208.

CAP. X. desiderari, vel interpretatione indigere censet; certe omissum esse modum *consequendae iustitiae*. Verum conveniendos esse, ubi domicilium habent vel habere finguntur, vel unde oriundi sunt, certi iuris esse, alibi asserit BYNKERSHOEKIVS. Exstant et aliarum GG. de hac exemtione Leges, in Anglia, Hispania, Lusitania (n. 1078.).

Exceptis casibus.

§. IↃXXXI. Admittuntur tamen hic illic *Exceptiones*:

1. Si quis Legatus duplicem sustineat personam, e. g. Si quis subditus eius, ad quem mittitur, ab extero principe adhibetur; qua de re olim in Belgio certatum occasione WICQVEFORTII (52). Vt dubitationi ansa praecidatur, statuerunt OO. GG. a. 1681. d. 19. Iun. ut ne quis Belga natus ac subiectus agnoscatur vel admittatur Legatus, nisi ea lege, ut maneat subiectus, omnique iurisdictioni obnoxius. *Liberi* Legati Belgici in legatione nati ex lege OO. Holl. a. 1686. d. 25. Iun. habentur Belgae, et censentur ex domicilio praesumto. Nova deinde Lege a. 1727. d. 10. Oct. penitus prohibitum, ne admittantur Belgae nati vel subiecti; ex-

(52) Is in Hollandia natus, et OO. Holl. historiographus, ex proditis arcanis in carcerem coniectus, frustra sese *publici ministri* titulo tutari conatus, ex sententia Curiae Holland. perpetuo carceri mancipatus est, ubi scripsit Commentarium *sur l'Ambassadeur & ses fonctions*, cuius *Sect.* XI. p. 244. contendit, exemtae esse iurisdictionis eos, qui, etsi subditi, exteri tamen principis mandata habent; sed non persuasit!

excipiuntur tamen, 1. peregrini, qui ſtipendia OO. militaria meruisſent, 2. eorum liberi. 3. Legatorum exterorum liberi in Republ. nati (53). Vlterior de his OO. Deliberatio a. 1738. d. 3. Dec. effectu caruit. De admittendis ſubiectis quaeſtionem ſuo in regno penitus ſuffocavit Rex Galliae. CAP. X.

Ad duplicem perſonam refertur quoque, ſi quis legatus ſimul in Belgio munere militari ſub OO. fungatur.

2. Alia exceptio est, ſi iurisdictionem ultro proroget. At quaerant hic alii, an valide renunciare ſine principis mittentis conſenſu posſit?

3. Si, ut Actor, alios conveniat ac forum rei ſequatur, locumque adeo det *reconventioni*, ut ICti loquuntur.

Vel ſi 4. characterem ſuum celet, et ut privatum ſe gerat. Qui tamen caſus admodum rarus.

5. Quod ad *bona!* Diſtingui ſolet inter *mobilia* et *immobilia*, in quae posteriora Legatus ipſo mittente, qui *immobilium* eo in territorio posſesſor est, non plus iuris habere cenſetur; in *priora* vero non ulterius ſeſe exemtio extendere, quam quae *abſenti* principi concederetur. Sunt tamen, qui cenſeant, generatim loqui Legem OO. GG. a. 1679. d. 9. Sept. de *omnibus bonis;* ſed negat BYNKERSHOEKIVS (54). Quaeritur et hic quoque, quid obtineat, ſi ex duplici perſona *bona* et *merces* ſint aeſti-

---

(53) *Groot Placaatb.* T. VII. p. 522.

(54) BYNKERSH. *Juge comp.* p. 175. Aliter MARTENS, Ed. Gall. p. 280. (h).

CAP. X. aestimanda, veluti quae sint *mercatoris*, vel *testamenti exsecutoris*?

6. Quum Legati ob aes alienum contractum ab civibus detineri nequeant, ne haec tamen immunitas in fraudem civium tendat; publicae id leges declarant, et aliquando ante discessum honeste monentur Legati (55).

7. Postremo quaeratur, an eo ipso, et quatenus? censeantur immunes ab observandis legibus politiae vel ritibus exteris populi, apud quem morantur.

Criminalis. §. IↃXXXII. Si qua Legati committant crimina, ea non impune ferri debere, nemo ambigit. Casus sunt rariores. Generalis Regula est, non posse in ius vocari, neque a iudice conveniri principis, ad quem missi sunt.

Sed ab aliis excipi nonnulla solent; quibus non quaeritur:

1. An, si quis Legatus hostili animo agat, vel ipsi Principi vim inferat, vi resisti queat? siquidem hoc non ex *iurisdictione* nasceretur, sed ex *naturali defensione*.

Nedum 2. an, si quis noxia in Rempubl. consilia moliatur, eius perniciem aperte machinetur, ac ius gentium violet, hoc casu reprimi, custodiri, eiici, vel tuto remitti possit? Id quod exemplis bene multis illustrant (56); siquidem hic ex ipso

(55) Quid extero legato a. 1772. in Gallia acciderit, et quomodo defensatum iverit regius minister Dux D'AGVILLON, lectu dignum est.

(56) Conf. MARTENS, Ed. Gall. P. II. p. 281. b. et

ipſo principe mittente, et idem patrante, ſed ex ſecuritate civitatis reprimendo, deciſio forte peti posſet. CAP. X.

Sed quaeritur, an in delictis privatis, publicam tamen ſecuritatem turbantibus, puta *homicidiis doloſis*, *veneno*, etc. iurisdictioni exemti ſint Legati? Quo in caſu hodie fere GG. conſentiunt, monendum esſe principem mittentem, ut revocetur puniendus, vel, illo tergiverſante, non exſpectato etiam mandato, remittendum, addita vel praeterita remittendi cauſſa. Multa per lancem ſaturam ſic *remisſorum* exempla dabunt ex nostris BYNKERSHOEKIVS, AITZEMA, WICQVEFORTIVS (57). Sed dantur quoque in contrarium, de Legatis vel *detentis* vel *punitis*. Quae tamen iuri GG. adverſari, fatetur ipſe BYNKERSHOEK. (58).

Exceptis caſibus.

§. IↃXXXIII. Excipitur et hic iterum caſus, ſi quis ab Republ. in exilium eiectus, *Legati* nomine redeat, ac diſcedere iusſus, mandatis morem non gerat. Quid iure *talionis* vel ex *represſaliis* actum interdum ſit, hiſtoria refert: ſed de his non idem ſem-

---

et quos illic memorat caſus inſigniores, in Legg. *Gyllenborg*, *Cellamare*, *de la Chétardie*, *de Botta*. Add. quae de Barone DE GORTZ in Belgio DE REAL, T. V. p. 230. et nostri Scriptores.

(57) BYNKERSH. *Juge comp.* C. XVII. p. 218. ſqq. AITZEMA, T. VII. p. 505. T. VIII. p. 1020. ſqq. WICQUEFORT, *Ambasſad.* T. I. p. 883. ſq. Conf. J. J. MOSER, Verſuch, T. IV. p. 374. ſqq.

(58) BYNKERSH. l. l. C. XVIII. p. 204. ſqq.

CAP. X. semper gentium, vel eiusdem quoque gentis, iudicium fuit.

Duriora in Legatos statuentes H. DE COCCEII aliosque (59) redarguere conatur BYNKERSHOEKIVS, multa paucis complexus est BARBEYRAC (60).

Generatim censetur non ulterius se extendere Legatorum *exterritorialitas*, quam ipsi Principi, praesenti, tribueretur, ut loquitur Vir Cl. MARTENS.

Qui in his Turcarum peculiares sunt mores, infra exponam.

Domestici. §. IƆXXXIV. Quae de Legatis, eadem fere omnia de familia, comitatu ac domesticis. Quatenus vero Iurisdictio in hos ipsi Legato competat, *mittentis* est Principis *definire*; *exercitium* vero et *exsecutionem* suo in territorio vel *permittere* vel *negare*, recipientis esse censetur. Expresse concessae exemplum habet Respublica. Quinam vero *Domestici* et *Comites* habendi, Leges hic illic determinant; et pro vario Legati gradu vel ordine variant. Habent et Legatorum Vxores sua iura, honores,

---

(59) H. DE COCCEII, *de legato sancto, non impuni.* In alia abit STEPH. CASSIVS, (vero nomine IO. WILDE) *de iure et iudice Legg.* Francof. 1717. Cf. DOM. ARVMAEVS, *an Legatus in Principem, ad quem missus est, coniurans, puniri possit?*

(60) In notis ad BYNKERSH. l. l. Cap. XXIV. p. 300—304. Omnia commiscet ZVRCK, *Codice Batavo*, p. 31. sq. in V. *Ambassadeur.*

res, exemtiones. Eoque magis haec valent, ubi ipsae legatione funguntur (61). In *Pacis* Congressu diversa saepe domesticorum est ratio. Vt omnis enim mora et controversia amputetur; conveniunt Legati, ut magistratibus loci committatur iurisdictio. Ex. c. *Neomagi*, *Aquisgrani*. CAP. XI.

§. IↃXXXV. c. *Ius Asyli*, quod olim extensum ad integrum *vicum* seu *plateam*, in qua Legatus habitabat, ac vulgo *Quartiersvryheid* dicebatur, sed quae extensio vario tempore abolita est in Hispania, Dania, Lusitania, et alibi (62), hodie fere ad *aedes Legati* restrictum est; sed qua in re consistat, et quousque se porrigat, non ex DD. sententiis, sed ex usu et voluntate GG. pendet. Quaestio huc redire videtur. An ius Asyli se porrigat etiam ad subiectos *facinorosos* Principis, cuius in territorio degit, eo effectu, ut hinc istius principis iurisdictio impediatur (63), vel vindictae publicae subtrahan- c. Ius Asyli.

---

(61) Qua de re FRID. CAR. MOSER, *l'Ambassadrice & ses Droits*, Berol. 1754. 8vo. et in eius *kleine Schriften*, T. III. n. 2.

(62) NEYRON, l. l. p. 137. et MARTENS, Ed. Gall. p. 287.

(63) DE REAL, T. V. p. 119. J. J. MOSER, Versuch, T. IV. p. 259. sqq. MARTENS, Ed. Gall. T. II. p. 285. WICQUEFORT, *Ambassad.* T. I. p. 875. sqq. BYNKERSH. *Juge comp.* C. XXI. et I. G. R. VAN BOETSELAER, Dissert. Leid. 1754. d. 18. Apr. *Quatenus Legatorum aedes Asyli iure gaudeant*, et F. G. TEDING VAN BERKHOUT, Dissert. *de iure le-*

 ga-

CAP. X. hantur malefici. Ex ſcopo Aſyli eo ſeſe id extendere, vulgo negatur. Sed de modo *petendi* et *tradendi* non una eademque est *ſentiendi* et *agendi* ratio. Vnde graviſſimae de his interdum contentiones, quarum exempla etiam in Belgio, vel de Belgis, exſtant quamplurima. Famoſa res est Baronis DE RIPPERDA, Miniſtri Hispani in aedibus Legati Belgg. et M. Britann. a. 1726., Legati nostri DE LARREY a. 1749. in Gallia (n. 1083.). Lata in Belgio a. 1663. d. 25. Iun. lex est, qua ſtatutum, non eo ſeſe extendere ius aedium *Reſidentis*, ut inquiri nomine S. Imper. in reos nequeat, ſi qua gravis adſit ſuſpicio. Sed an generalis haec Lex, et uſu deinde probata?

d. Immunitas ab tributis.

§. IↃXXXVI. d. Quae civibus ex *ſubiectione* imponuntur tributa perſonalia, ea ſolvere Legatus non tenetur. In iis, quae *bonis*, citra perſonae reſpectum, imponuntur, alia res poſſit videri. Sed haec *rationis!* quid in his gentium *uſus?* Olim gratis in Europa alebantur Legati. Abrogato hoc more, ſucceſſit immunitas ab vectigalibus et tributis, eaque diu remanſit. Ex abuſu eam vel plane ſuſtulerunt vel paullatim varie reſtrinxerunt Gentes. Vnde nihil certi ex generali regula (64).

Quod

---

gatorum, p. 45. ſqq. qui duo tamen posteriores magis, quid ſit *rationis* quam *uſus* gentium, disquirunt. Conf. Cl. THOMASIVS, *de iure Aſyli Legatorum aedibus competente*, et idem in *Obſerv. Halenſ.* T. II. n. 17.

(64) MARTENS, p. 171. Ed. Gall. p. 295. ſqq. NEYRON, l. l. P. I. p. 136. Ad amputandas contro-

Quod ad Belgas! Ab his olim Legati primi ordinis gratis alebantur, et hospitia vel aedes publico ſumtu conducebantur (65); ſuperſunt moris vestigia in Legatis ex *Ora Africana*. Ineunte hoc ſeculo ſingulare adhuc exemplum in legatis Rusſis. Deliberabatur iam a. 1631. an non pecunia quadam haec aedium conductio redimeretur (66). Crevit aliquando aedium penſio usque ad *f* 8550. Tandem a. 1649. d. 6. Maii decretum, ut ne amplius haec fierent, indignante Galliae Ministro (67). Ab hoc tempore de immunitate ab tributis, eorum in primis, quae *intra* aedes *conſumebantur*, creber magis iniicitur ſermo, a. 1673, 1681, 1709. Confirmata haec ſunt a. 1726. d. 14. Sept. a. 1730. d. 20. Ian. (n. 993.) ſed a. 1749. d. 28. Iun. (n. 1084.) et d. 16. Dec. penitus abolita est immunitas, exceptis iis, qui cummaxime hac fruebantur, et eo caſu, quo aliae gentes nostris Legatis in his gratificarentur. Extra Hagam habitantibus, uti et *Conſulibus*, iam a. 1685. d. 3. Mart. nulla erat immunitas; neque iis, qui Hagae extra Palatium Legati habitabant, a. 1726. d. 14. Sept. (68). CAP. X.

Quod

---

troverſias inter publicanos et exteros Ministros Rex Sueciae a. 1766. ſpeciale Edictum promulgavit (n. 1149.).

(65) *Reſolutien van Holland*, a. 1596. fol. 409. a. 1601. M. Aug. fol. 323. a. 1602. fol. 66.

(66) *Ibid.* a. 1631. d. 22. Mart. fol. 38.

(67) LE CLERC, *Nederl. Geſchied.* T. III. p. 30.

(68) *Groot Placaatb.* T. IV. p. 246. T. VI. p. 289. T. VII. p. 522.

CAP. X. Quod ad bona et aedes, quarum ſint domini ipſi vel eorum principes: ſequuntur haec, niſi alia accedant, naturam bonorum immobilium in Hollandia. De aedibus Legg. Hispan. ab a. 1710. et Galliae ab a. 1757. mota est controverſia (69).

De vectigali pro bonis ipſius principis ſuos in uſus devehendis exſtant Decreta OO. Holl. a. 1735. d. 23. Aug. a. 1743. d. 19. Aug. a. 1749. d. 21. Apr. a. 1757. d. 22. Apr. Neque pinguius ſibi ius petere Legati poſſe videntur. In Principe Auriaco eiusque bonis quaedam peculiaria obtinent (70).

e. Cultus Religionis.

§. IↃXXXVII. e. Quaenam *praerogativae* ex communi gentium conſenſu, maxime quod ad exercitium domesticum Religionis, *Legatis*, *Ablegatis*, *et Reſidentibus in terris Principum*, *ad quos miſſi ſunt*, *debeantur*, hoc ineunte ſeculo quaerebatur, occaſione controverſiae Regis Borusſiae cum Magiſtratu Colonienſi (71). Vt alibi, ita in Belgio domes-

(69) Rem omnem accurate explicat Vir Conſ. MATTH. VAN DER POT, Disſert. Leid. 1782. *de tributo praediali quod in Hollandia exigitur ſub nomine de ordinare Verponding*, p. 81—85.

(70) Idem VAN DER POT, p. 81. Singulare admodum est in *Reſol. van Holl.* a. 1602. fol. 276. ubi declarantur: *de jonge Graven van Nasſau voortaen vry en exempt*, *als* ANDERE HEEREN *en* AMBASSADEURS *van uytheemſche Princen en Potentaten.*

(71) Scriptum exſtat DV MONT, *Suppl.* T. III. P. II. p. 73. Adde de iure Capellae et Devotionis Domesticae Legatorum, MARTENS, p. 173. Ed. Gall. p. 289. J. J. MOSER, Verſuch, T. IV. p. 216. ſqq.

mesticus Religionis cultus exteris Legatis permissus, sed ad solam olim familiam ac comitatum restrictus. Docent hoc OO. Edicta, quae civibus Belgis his sacris interesse prohibent, a. 1624, 1626. d. 10. Oct. a. 1651. d. 10. Febr. a. 1653. d. 15. Aug. rogatique omnes Legati, ne illos admittant, neve alio quam suo quisque sermone sacra celebranda curent (72). Cum Rege Gall. separato Federis Articulo a. 1624. (73) convenit, ut ipsius Legato ac quibusvis, natione Gallis, sacra in palatio permitterentur, sed exclusis subiectis Belgis. Volebat Rex G. in Federe a. 1662. insertam plenius clausulam de libero Religionis Rom. Catholicae exercitio in Palatio Hagano. Non negabant OO. Religionis exercitium; sed clausulam ex pacto obligatoriam, ob *rationes*, recusabant. Dabantur tamen separatim literae ab Belgarum Legatis a. 1662. d. 27. Apr. Longe minor hodie in his est Ordinum, an Legum? severitas. CAP. X.

§. IↃXXXVIII. Reliqua privilegia, communia ac propria, uti sunt *functionis libertas*, *receptio*, *dona*, aliaque, quae in genere Legatos, praesertim *primi ordinis*, honorant et distinguunt, dicere hic omitto (74); nonnulla separatim exponam. Nunc tantum observo, honori Legatorum *superioris* ordi- Alia.

---

(72) DE WIT, *Resol.* p. 13. et *Brieven*, T. III. p. 155. Add. AITZEMA, T. I. p. 915. ad a. 1624.

(73) AITZEMA, T. I. p. 713.

(74) Vid. de his MARTENS, l. l. p. 157—160. Ed. Gall. p. 267. sqq.

CAP. X. dinis hoc quoque dari, quod *Excellentiae* titulo decorentur. De quo insignes in Germania fuere lites. In Belgio nulla haesitatio, excepto quod in ipsis OO. GG. Comitiis Legatis negatur, ex diserto Decreto a. 1698. d. 25. Mart. cf. a. 1653. d. 7. Febr. In conventu de Pace Monaster. Belgarum Legati a. 1645. hunc ab Hispanis adepti sunt (75). Secuti sunt alii. Haec de Privilegiis.

IV. Admissio et Recusatio.

§. IϽXXXIX. IV. Vti *missio* est exteri principis, ita *admissio* eius ad quem mittitur. Est vel *publica* vel *privata*, eaque iterum vel *tacita* vel *expressa*. Effectus *admissionis* est agnitio mandatorum, et attributio iurium Gentium Europaearum. Haud facile illi, et non nisi graves ob causas, recusantur, quae vel in ipso sunt *legato*, vel in *mittente*, vel in eo, *ob quod* mittitur. Dantur tamen casus, quibus *missio*, vel *admissio* est *necessitatis*, sive ex pacto vel *aliis* ex momentis (76). Non *admissorum* vel *dimissorum* exempla etiam in Republ. prôstant. Quinam vero ex *Lege* admitti nequeant, indicavi supra (p. 534.).

V. Mandata.

§. IϽXL. V. Legatus munitur *Mandato* sui Princi-

---

(75) *Negotiat. Secrèt. de Munster*, T. III. p. 17. b. WAGENAAR, *Histor. Patr.* T. XI. p. 297.

(76) De omni hoc negotio DE REAL, T. V. p. 283. sqq. J. J. MOSER, Versuch, T. III. p. 226. sqq. MARTENS, p. 148. Ed. Gall. p. 254. ex Belgis WICQUEFORT, *Ambassad.* T. I. p. 307. sqq. BYNKERSH. *Quaest. Iur. Publ.* L. II. C. V. HUBER. *de Iur. Civit.* p. 718.

CAP. X.

cipis. Eſt hoc vel *publicum* vel *arcanum*. Prius, quod Principi exhibet, ad quem mittitur, alia voce *literae credentiales* (*lettre de créance*), quibus et Legati nomen, et ordo, et finis, et habenda fides vulgo indicantur. Belgis olim dicta *Procuratien*. Si quis ad ſpeciale quoddam negotium, praeſertim ad pangenda Federa mittatur, adiecta interdum habet alia *mandata plena* ſeu *Literas* quas vocant *plenipotentiae* (*plein pouvoirs*). De ipſis Literis, antequam admittuntur, ſingularis in Belgio eſt cautio, in titulis, loquendi ratione, modo tradendi, cett. Ex ſolo *titulo* Ordinibus pro ſua dignitate non impertito a. 1623. redditae ſunt Imperatori; a. 1664. ab OO. Holl. Regi Sueciae. Exſtant paſſim eiusmodi Literae ab exteris principibus ad OO. miſſae. *Mandatorum* noſtris Legatis ad exteros miſſis datorum, et publice editorum, ſi qua usquam regio, profecto ferax eſt Belgica, quandoquidem illa omnia, quae in Republ. geruntur, fiant per modum *Decreti* post initas deliberationes, quae celari vix poſſunt. Exemplis ſuperſedeo (77).

Literae commendaticiae.

Ab his differunt *Literae* quas vocant *commendaticiae*, quas in Belgio ſeparatim tradere ſolent *Gubernatori generali*. Sed hae interdum parum abſunt ab prioribus (78).

Ar-

---

(77) Cf. WICQUEFORT, *Ambaſſad.* L. I. S. XV. Add. DE REAL, L. V. p. 287. ſqq. J. J. MOSER, Verſuch, T. III. p. 114. ſqq.

(78) Singulare eſt, quod Princeps Algeritanus literas

CAP. X.

Instructiones.

Mandata.

Arcana, quae Legatis privatim dantur, *Mandata*, (vulgo *Instructien*), ambitum docent muneris sibi commissi, in specie, quid quove modo agendum. Haec quidem non communicantur nisi ex voluntate mittentis. Nonnunquam et aliud *secretius* Mandatum adiicitur, quod celant semper! Plenus huiusmodi *Instructionum* nostris Legatis in Angliam, Galliam, Daniam, Sueciam, Russiam, profecturis datarum exemplis est AITZEMA, vel hoc solo nomine magni aestimandus! Nihil enim est, quod arcana consilia, ac rerum agendarum, vel deinceps in Belgio gestarum, potissimum vero Federum cum exteris, caussas, media, effectus et momenta, magis in aprico collocat quam illae ipsae *Instructiones* (79).

§. IↃXLI.

---

ras dederit a. 1749. ad *Principem Arausiacum et* OO. *Fedd. Mercur. Histor. Polit.* h. a. P. II. p. 357.

(79) Exempla dabit AITZEMA, T. I. p. 462, 468. T. II. p. 255. T. III. p. 241, 466. T. IV. p. 270. T. V. p. 42, 277, 641. T. VI. p. 449. T. VIII. p. 492, 510. T. IX. p. 401, 878, 1096. T. X. p. 4, 351. T. XI. p. 618. *Arcana* mandata deinceps etiam prodeunt. Quamquam et hic illic memorata invenio Consilia et Acta, quae ne ipsis quidem OO. GG. *Registris* (*Resolutien*) inserta sunt. Sic in re Danica cuiusdam Provinciae observata ad *Instructionem* quandam *arcanam* a. 1655. d. 16. Dec. quibus adscriptum reperi: *ter Vergadering overgegeven sonder notulen van te houden.* Alibi: *Substantie van seker secreet Advis, rakende de maximen van* CROMWEL, *ter*

Ver-

§. IϽXLI. VI. Est primus *Legati* aditus, five *audientia*, vel follemnis, quae tantum tribuitur Legato *primi ordinis*, vel minus follemnis feu privata (80).

CAP. X. VI. Receptio follemnis.

Sollemnem illam olim follemnis praecesfit Hagae Com. ingresfus. Moris enim erat (nam haec et reliqua omnia ob impenfas hodie fere omittuntur) ut Legatus primo occulte five privatim Hagam adventans, ab Ordinum aulae magistro (*Hofmeester van den Staat*) (81) reciperetur, eique literas fuas

---

Vergadering van HH. Mogg. geëxhibeert en fonder datter Notulen van zyn gehouden, gelezen den 26. Febr. 1653. Porro: *Originele Misfive van den Heere Prince* MAURITS VAN NASSAU, *ingekomen* 15. *July* 1658. *rakende de Sweedsche Desfeinen fonder dat daer van Notulen zyn gehouden.* Haufi haec ex *Indice MS. Federum*, cett. in Archivis OO. GG. p. m. 12, 89, 128.

(80) Harum follemnitatum originem ac progresfum, uti et plurima Exempla ac Defcriptiones, abunde fuppeditant, ex Gallis DE REAL, T. V. p. 297. fqq. ex German. J. J. MOSER, Verfuch, T. III. p. 235. et Beiträge, T. III. p. 309. LVNIG, *Theatr. Ceremonial. GG. Europ.* T. I. p. 369. Multa paucis complexus est MARTENS, *Jur. GG. Pract.* p. 154. Ed. Gall. p. 262. fqq. Ex Belgis add. WICQUEF. *Amb.* T. I. p. 417. fqq. et *Tegenw. Staat der Vereen. Nederl.* T. I. p. 272. JANIÇON, T. I. p. 92. Ed. Belg. p. 157. fqq.

(81) Honores Legatis praeftandi caussa, ex Decreto OO. GG. a. 1639. d. 26. Nov. conftitui debuerat

CAP. X. suas mandati traderet (82); his in Comitiis lectis, salutaretur Legatus, et ab eo inde tempore agere cum OO. delegatis posset (83). Sollemni deinde receptioni die dicto Legatus Delphos, nonnunquam Roterodamum (84), se conferebat; interdum ipso mane; illic ab aulae magistro iterum salutato et Hagam adventanti, duo Ordinum deputati pompa sollemni extra Hagam ad pontem *de Hoornbrug*, obviam procedebant. Prima aetate obviam ivit Gubernator. Sic a. 1607. MAVRITIVS Legato Gallico JEANNIN; a. 1624. Legato Veneto; mitto alios. Eo vero absente nonnulli ex OO. GG. (85). Excusabat sese ob valitudinem FREDRICVS HENRICVS, et eius vi-

---

rat Minister, *un Maitre des Ceremonies*, *où Introducteur des Ambassadeurs.* Verum hoc munus introductum non esse, observat WAGEN. *Histor. Patr.* T. XI. p. 288. Attamen OO. semper usi sunt suo aulae Magistro, sub titulo *Hofmeester van den Staat.* Hoc munus (a. 1738. d. 24. Febr.) censebatur tamquam supervacaneum, siquidem non amplius locum haberent eiusmodi publici ingressus, quorum pars magna fuerat *Magister.* Hodie quum tantummodo adhibeatur ad deducendos Legatos *Africanos*; de munere penitus abolendo deliberatum inveni.

(82) *Decr.* OO. *GG.* a. 1658. d. 19. Aug.

(83) WICQUEF. T. I. p. 603.

(84) *Decr.* OO. a. 1653. d. 7. Febr.

(85) Sic res narratur in *Decr.* OO. *GG.* a. 1639. d. 26. Nov. §. VIII.

vicem nonnunquam supplebat filius WILHELMVS II. Ex Decreto a. 1639. quo iam titulus *zyne Hoogheid* tribuitur, quodammodo res mutata esse videtur (86). Legatus ab duobus his Deputatis nomine Reipubl. aliisque stipatus, magna cum pompa in rheda pensili OO. sex equorum (vulgo *de eerste karosse van Staat*) ad aedes MAVRITIANAS (vulgo *'t Huis van Prins* MAURITS) deducebatur (87). Hic sollemnes Epulae parabantur, et ex publico aerario per tres dies Legatum excipere et sustentare moris erat, de quo mutando iam a. 1653. d. 7. Febr. deliberatum (*Groot Placaatb.* T. III. p. 82.) et quem a. 1717. abrogare frustra conabantur OO., refragante Legato Anglico (88). Huc CAP. X.

(86) Cf. WICQUEF. T. I. p. 465.

(87) In Decr. a. 1639. habetur: *in 't gemeyne huys des Hofmeesters of nae gelegentheit anders bequamelyck gelogeert.* Sed iam mature aedes Mauritianae hoc fine conductae, et gravis fuit earum pensio, deque ea abolenda hodie deliberatum. Vid. *'t Rapport der Financie*, p. 266. De ipso Palatio DE KIEMER, *'s Hag.* T. I. p. 112. et 753. De honore praecedentiae illic observando agunt OO. GG. *Decr.* a. 1658. d. 24. Iul. a. 1668. d. 13. Ian. *Groot Placaatb.* T. III. p. 53.

(88) Adhuc a. 1753. de Galliae Legato legitur: *l'Ambass. de Bonnac a été traité à l'hôtel du Prince* [JEAN] MAURICE *trois jours de suite de la part de l'Etat; alors s'est rendu à l'Assemblée des Etats GG. Nouv. Extr.* h. a. n. 36. *Suppl.* Ex Lege tamen OO. a. 1639.

CAP. X. Huc delatus ab 8. Depp. Ordd. nomine Reipubl. salutabatur, iisque coenam condicebat. Tertio post die per 2 OO. deputatos, publica rheda sollemniter per portam meridionalem (89) ad Comitia OO. deducebatur; honoribus militaribus salutatus, ad scalas usque educitur; admissusque in generalem totius Reipublicae consessum, vulgo *Comitia OO. Generalium*, quae integrum Belgii Federati Systema et omnes simul socios referunt, ex adversum Praesidem OO. considet sedili panno holoserico tecto, (*een' fluwelen armstoel*) duobus ab latere Deputatis cinctus (90); literas tradit, OO. alloquitur titulo *Hauts & Puissans Seigneurs*; capite tecto (91); excepto si nomen sui

---

§. XIII. expensae superare summam *f* 1200 non debuerant.

(89) Non permissa enim unquam fuit Legato deductio per portam *Occidentalem*, vulgo *de westpoort van 't Hof*, alia voce *de Stadhouderlyke Poorte*, ut quae soli Gubernatori relicta. Petierat quidem a. 1681. D'AVAUXIUS Gall. Legatus, per eam ut veheretur; sed sine effectu! Quid nostra aetate contigerit, recens suggerit memoria.

(90) Soli CAROLO II. Regi Angl. hoc honoris habitum legitur, ut ipsum Praesidis sedile occuparet.

(91) Atque hic *Pilei* honor ab Legatis etiam nostris non negligitur. Immo in Sueciam abeuntibus in Mandatis datum, ut *capite tecto* loquerentur, AITZEMA, T. V. p. 43, 48, 55. Add. Tabulam in WAGEN. *Histor. Patr.* T. XVIII. p. 210.

ſui *Principis* vel *OO.* pronunciat; idem faciunt CAP. X.
OO.; dum reliqui ſpectatores detecto adſtant capite. Sermones in primo hoc aditu vix quidquam momenti continent (92). Olim triplex ſermo adhibitus; ſi quis alio utebatur, Belgice reſpondebatur. Nunc lingua invaluit Gallica. Finitis ſollemnibus Legatus eadem pompa, ad aedes MAVRITIANAS deductus, veſperi in ſuum ipſius palatium ſe conferebat, dato magiſtro OO. aulae quodam dono munere. Solet Legatus primus ſollemniter ſalutare Principem Auriacum, tamquam Gubernatorem. De qua cerimonia nunquam dubitatum eſſe, narrat WICQVEFORTIVS (93). Inde ab a. 1750, d. 26. Nov, (n. 1089.) id iterum inſtitutum, ita ut ſq. die Legatum reſalutet Princeps Auriacus. Alia exempla a. 1751, 1752, 1756, 1776. cett. Vbi ad magis ſeria devenitur; quae obſervari ſollemnia debeant, certa lege et ordine eſt definitum (94). Exſtant et paſſim Legatorum ex-

---

(92) Iocoſe hos deſcribit BYNKERSH. *J. Publ. Q.* L. II. C. VI. p. 224.

(93) *Ambaſſ.* T. I. p. 612. Solus D'ESTRADES mandata Regis exſpectabat, accepitque. JEANNINVS a. 1607. d. 19. Iun. ad Regem perſcripſit, ab Gubernatore Friſiae WILHELMO NASSAVIAE ſeſe eſſe ſalutatum Hagae Com., *avant qu'il eut le loiſir de le prévenir.*

(94) De quibus, ac de modo *ſermones conferendi* ac *libellos memoriales* offerendi praeter WICQUEF. T. I. Sect. XIX. *des Audiences*, ſtatuunt Leges OO. GG. in

 't Groot

CAP. X. exterorum in Republica Receptiones. Suam Receptionem descripsit ipse D'ESTRADES (95). Praetereo minus sollemnes ac privatos aditus etiam Legatorum *secundi* Ordinis, visitationes aliorum inter sese, ordinem in his servandum, aliaque, quae durante legatione observantur (96). Legati ex *Africa*, *Maroccani*, *Tripolitani*, cett. adhuc ex publico sustentantur aerario, assignata per

---

't Groot Placaatb. T. III. p. 53, 81. T. IV. p. 109. sqq. (a. 1662. d. 20. Apr.) T. VI. p. 34. et pluribus exponunt JANIÇON, T. I. p. 92. Ed. Belg. T. I. p. 157—170. LVNIG, *Theatr. Cerem.* T. I. p. 503, 1413. BYNKERSH. *Quaest. Iur. Publ.* L. II. C. VI. *Tegenw. Staat*, T. I. p. 274. sqq. De Legatis *Ord. Infer.* ibidem.

(95) D'ESTRADES, *Brieven*, T. II. p. 32. Add. de aliis ex Gallia Legatis D'AVAUX, DE FENELON, a. 1725. DE BONAC, D'AFFRY, *Groot Placaatboek*, T. IV. p. 105. T. VI. p. 27. sqq. *Nederl. Jaarboek.* a. 1753. p. 365. De Anglis Com. PEMBROKII, DE CADOGAN, *Ducis Eborac.* DV MONT, *Suppl.* T. V. p. 779. *Nederl. Jaarboek.* a. 1761. p. 860. de Legato Russo a. 1679. et 1700. *Mercur. Histor. Polit.* T. XXVIII. p. 239. MONTAN. *'t Leven van* WILLEM III. T. II. P. II. p. 209, 212. Mitto alios.

(96) Haec enim parum ab usu GG. recedunt, et alibi pluribus describuntur, MARTENS, p. 156. Ed. Gall. p. 266.

per ſingulos, quibus morantur, dies certa ſumma ad *f* 40 *f* 50 immo ad *f* 60 flor. (97). CAP. X.

§. IↃXLII. VII. Legatorum *officia* et *functiones* ad quatuor potisſimum capita redigi posſe videntur, ea nempe quae obſervanda erga principem mittentem; erga eum ad quem mittitur; erga alias gentes earumque legatos; erga ſe ipſos ſuamque familiam. VII. Functiones.

§. IↃXLIII. Modus gerendi negotia pro re nata vel pro gentis cuiusque indole moribusve infinitum quantum variat. In Republica vulgo agitur vel cum Praeſide OO. GG., vel cum Deputatis nonnullis. Cum Deputatis ſermones conſerit, vel domi ſuae, vel in loco publico (98), ſive ſeparato OO. conclavi, cui nomen *de groote vertrekkamer, als weſende in 't huys van den Staat.* Solent autem omnia, quae tractanda proponit Legatus, ipſe ſcripto tradere Praeſidi OO., alioqui non admittenda ex Decr. OO. (99), et nonniſi ſcripto, deliberatoque conſilio, reſpondetur. Modus agendi.

§. IↃXLIV. VIII. Variae ſunt causſae, ex quibus munus Legati cesſat; ex morte Principis, vel ipſius VIII. Cesſatio Legati.

---

(97) *Groot Placaatb.* T. VII. p. 546. Qui quomodo recipiantur, docent exempla *Nederl. Jaarboek.* a. 1749. p. 345. a. 1767. p. 197. a. 1770. p. 1087. a. 1783. p. 1699.

(98) BYNKERSH. *Quaeſt. Iur. Publ.* p. 225.

(99) A. 1686. d. 21. Aug. et 11. Sept. *Groot Placaatb.* T. IV. p. 1?6.

CAP. X. ipsius Legati; ex revocatione (*Rappèl*), vel ex remissione minus honesta; vel, quod magis frequens, ex cessante missionis caussa (1). Solet Legatus, honorifice discessurus, exhibere literas seu librum memorialem (*afscheidsmemorie*). Huius in locum secum aufert literas *commendaticias* (*lettres de récreance*). Dantur et *literae commeatus* (*Passeport*). Ipse honoris caussa donatur ab OO. GG. *catena aurea* cum *appenso numismate* ad *f* 6000, vel eius pretium; qui ipsi ab secretis est *f* 600; secundi vero ordinis Legati idem accipiunt munus ad *f* 1300, ab secretis *f* 300 (2). An vera sunt quae narrat D'ESTRADES (3) de tympano creditorum caussa pulsato in discessu eorum, qui, pacis ineundae ergo, Bredae convenerant? *Legati* minus honeste *dimissi*, (quod tamen non nisi gravissimis ex caussis fit) semper tamen ea est cura, ut servetur eius sanctitas, quamdiu in territorio mo-

---

(1) De quibus exponunt Iuris GG. Script. MARTENS, Ed. Gall. p. 307. sqq. J. J. MOSER, Versuch, T. IV. p. 432. sqq.

(2) Exempla discedentium, etc. *Nederl. Jaarboek.* a. 1749. p. 463. a. 1750. p. 1488. a. 1751. p. 646. a. 1753. p. 13. a. 1754. p. 1207. a. 1782. p. 1545. De dono munere ibid. *Jaarboek.* a. 1749. p. 859. a. 1751. p. 646. a. 1756. p. 950. Add. J. J. MOSER, Versuch, T. IV. p. 531. sqq. De legatis nostris ex Gall. etc. discedentibus *Nederl. Jaarboek.* a. 1749. p. 233.

(3) *Brieven*, T. VI. p. 22. a. 1667. d. 12. Aug.

moratur (4). In Legato *defuncto* obſervanda est eius *ſepultura*, *obſignatio* Archivi, cura *familiae*, in primis *viduae*; horum in territorio *commoratio*; *bona*; et discedendi *ſecuritas*. De obſignandis Legati nostri defuncti Archivis a. 1721. fuit controverſia cum Imperatore. CAP. X.

§. IↃXLV. Haec de Legatis generatim conſideratis, in ſpecie de iis, qui apud Belgas degunt. Novit Respublica et alios, qui ad certam Legatorum claſſem non pertinere videntur, (ut loquar cum MARTENSIO) perſonae tamen *publicae* habentur; quo refer, quos Belgae vocant *Agenten* et *Conſuls*. Alii Ministri.

§. IↃXLVI. *Agentes* ſimpliciter ſic dicti iisdem olim iuribus et honoribus fruebantur ac reliqui Ministri. Horum hodie paullo diverſior est ratio, et iure GG. quidem ſpeciali *protectione publica* gaudent, aeque ac publici Ministri, (ex OO. Holl. Declaratione a. 1651. d. 29. Mart. ſed Privilegiis et Immunitatibus Legatorum non amplius gaudent, ac ſubſunt iurisdictioni territorii (5). Haec obtinent, niſi ſimul nomen gerant *miniſtri publici*. Vulgo ex ipſis Reipubl. civibus capiuntur; et conſiderantur tamquam Procuratores rerum privatarum ſui principis vel negotiorum gestores. Agentes in Belgio.

§. IↃXLVII. Diverſa quoque ratio est *Conſulum*, Conſules in Belgio.

---

(4) WICQUEF. *Amb.* T. I. p. 300, 303. ſq. DE REAL, T. V. p. 337. ſqq.

(5) BYNKERSH. *Juge comp.* C. XIII. p. 141. ſqq. et JANIÇON, T. I. p. m. 173.

CAP. X. *lum*, qui *Mercaturae* curam gerunt. Horum iura non nituntur *iure* GG. sed *pactis*. Hoc inde apparet, quod, ubi Federa vel Pacta specialia desunt, hi vulgo ignorentur. Variant etiam iura pro natura commercii, forma regiminis, vel indole gentium. Horum *originem*, *scopum* ac *finem*, *ordinem*, *species*, *honores*, *iurisdictionem*, *necessitatem*, *emolumenta*, generatim exponunt scripp. (6). Qui nostris consulibus habentur ab exteris honores, iisdem apud nos gaudent exteri. Loquuntur de his Federa Commercii, cum Hispanis a. 1648. §. XVI. a. 1714. §. XXII. cum Suecis a. 1679. §. XXXIV. cum Siculis a. 1753. §. XLI. cum Gallis a. 1662. §§. XLVI, XLVII. a. 1678. §. XXXIV. Interdum simul de *loco* morandi convenitur. *Amstelodami* et *Roterodami* vulgo habitant. Ex posterioribus cum R. Galliae Fedd., a. 1697. et a. 1713., repetitis a. 1739. §. XL. quadam ex caussa, invicem non admittuntur *Consules*; si qui vero requirantur *Residentes*, *Agentes* vel *Commissarii*, hi non nisi in ipsa regia Principis sede haberentur. Ho-

(6) In his eminent VON STECK, Versuch, p. 215. sqq. et idem *Essai sur les Consuls*. J. J. MOSER, Versuch, T. VII. p. 818. sqq. Quaeritur, an sint dicendi *ministri publici*, charactere quidem publico ornati, sed *ordinis inferioris*, qui etsi non *referant principem*, tamen gaudeant Iuris GG. protectione. Sic censet VON STECK; aliter DE VATTEL et BYNKERSH. De hac quaestione cf. MARTENS, p. 107. Ed. Gall. T. I. p. 185. Add. DE REAL, T. V. p. 58. sq.

Hodie tamen, sed *Amstelodami* duntaxat, nomine **CAP. X.** *Commissarii* admissus est (7). In nonnullis Galliae portubus et suos hodie *Commissarios* habent Belgae. Quum Rex Daniae a. 1720. *Consulem* Belgam ex suis ipsius subiectis coöptatum recusaret (ut omnis de tributi immunitate quaestio cessaret), OO., ni admitteretur, idem se facturos significabant (n. 965.). De horum functionibus separata interdum conventione vel edictis cavetur. Sic inter Gall. et Hispan. *iura et functiones Consulum accurate designantur* a. 1769. d. 13. Mart. (n. 1152.); idem promiserunt inter se Reges Angliae et Galliae a. 1786. (n. 1252.), et Rex Borussiae cum Americanis a. 1785. §. xxv. Russi multos stipulati sunt favores ex Fedd. cum *Anglis* a. 1766. d. 20. Iun., cum *Gallis* a. 17$\frac{86.}{87.}$ d. $\frac{31.\ Dec.}{11.\ Ian.}$ cum *Lusitanis* a. 1787. d. $\frac{9}{20}$. Dec. Exstat Regis Daniae Edictum speciale, titulo *de Consulaat-Ordinantie* a. 1749. d. 10. Febr. (n. 1081.). In Gallia a. 1759. d. 7. Apr. (n. 1126.), et a. 1781. d. 3. Mart. (n. 1197.) *de iuribus Consulum in Archipelago et ora Africae* (8) cautum est.

§. IↃXLVIII. Quod ad Belgas! Ex mercaturae necessitate magna est copia *Consulum* ac *Vicecon-su-* Belgarum Consules.

---

(7) WAGEN. *Amst.* T. V. p. 67. De necessitate hos in Gall. portubus alendi, DE WIT, *Brieven*, T. I. p. 644, 673.

(8) Add. DE STECK, *sur les Consuls*, p. 72. sq. et 174.

CAP. X. *ſulum*, quos exteras apud nationes alit Belgica. Ad 23 ac plures adſurgunt. Conſtituendi finis non modo est, ut privilegia ac libertates ſuae *nationis*, vel pactis vel moribus debita, conſervent; promoveant; litesque *mercatorum* privatas cum inter ſeſe tum inter nautas et navium magistros amice componant: ſed etiam OO. certiores reddant de iis quae ad mercaturam faciant. Suntque eatenus *perſonae publicae*, quatenus *protectione* gaudent magis *ſpeciali*. An inſignia Reipubl. ad aedes ſuas publice affigere asſolent? Cedunt quidem Regiis Conſulibus ac Venetis; reliquos praeëunt. Conſtituuntur ab OO. GG. ita tamen, ut *cives Hollandiae* praelati, ex Decr. OO. Holl. a. 1657. d. 27. Mart., in ambiendo munere admodum limitentur (9). Ex pristino OO. Decreto a. 1687. d. 20. Ian. debebant profiteri religionem publicam. Sed hic mos non ſemper ſervatur nec ſervari ſemper potest. An ſubditus Belga eligatur, in arbitrio est OO., niſi aliter Pacta. *Commisſionum* formulae, unde de muneris ambitu et indole iudicium feratur, exſtant quamplurimae (10). De iudice, cui ipſi ſubſint, nulla videtur esſe controverſia. Quem vero habeant *iudicem* de iis, quae in Belgio ipſos abſentes ſpectant, causſis, docet OO. Decretum a. 1679. d. 13. Oct. In Hispania Conſul noster ſuo abuſus charactere in ordinem re-

(9) DE WIT, *Reſol.* p. 305.

(10) Vid. de *his* et *Viceconſulibus* *Groot Placaatb.* T. VI. p. 300. ſqq. T. VII. p. 525. ſq. 531—537.

redactus est ex Decreto a. 1762. (11). Sine OO. consensu munere se abdicare; neque pro extero Principe *Consulis* officio fungi alibi non licet, nisi impetrata antea venia, uti pro Rege Borussiae a. 1764. in Genua. Vt munere pro Belgis fungeretur, suo permittebat Consuli Rex Angl. Aliud exemplum Consulis Gallici pro Belgico fungentis in Hispan. a. 1743. Facultas nonnunquam datur alios substituendi. Controversiis de capta praeda navali sese immiscere non licet ex lege a. 1693. d. 18. Maii. Consuli nostro a. 1754. d. 11. Apr. lis intercessit cum Magistro navis Dano de foro *iudiciali*. CAP. X.

Emolumenta.

Quod ad emolumenta! Praeter honorarium, potiora sunt ea quae Belgice vocantur *Consulaatrechten* et *Natie-* vel *Nationale Penningen*; ob debitam navium et mercatorum protectionem solvenda ex mercibus, quae ab Belgis ad portus exteros advehuntur, vel inde evehuntur. Quae ab OO. accurate definita sunt lege a. 1658. d. 24. Iul. saepius ampliata a. 1670. d. 4. Aug. a. 1675, 1721, 1732, 1735, 1737. sqq. Tenentur iccirco navium Belgg. Magistri, simul ac portum intrent, adire hos Consules ex lege a. 1733. d. 19. Iun. (12). Ne

(11) *Recueil van Zeez.* T. IX. p. 176.

(12) *Recueil van Zeez.* T. IV. p. 435. et T. VII. p. 523. Dicitur adhuc a. 1741. d. 27. Ian. *'t Reglement (wegens de Consulaatrechten) van* a. 1658. d. 24. *Iul. van die tyd af te hebben gesubsisteert, en door Haar Hoog Mog. altoos geinhaereert en gehouden als een fundamen-*

CAP. X. Ne quid in his fraudarent, obligati sunt in patriam reduces, Collegiis Architbalasficis probare, se haec iura solvisse, titulo *Consulaatrechten* (13).

Consules in Turcia. §. IƆXLIX. Quemadmodum autem *Legatorum* (de quibus infra) ita quoque *Consulum* nostrorum maiora sunt iura et privilegia in Imperio Turcico, in Archipelago, et eius portubus maritimis; vulgo *de Levant*, vel *de Schalen van de Levant*, *de Dardanellen*, nec non in Oris Africae Maris Mediterranei. Illic ex pristinis *Capitulationibus* Consules Galli omnibus eminent. Hos honore et existimatione apud Turcas proxime sequebantur *Consules Belgae*; eorumque iura tam late patent quam Francorum; estque illic auctoritas eorum maior quam in reliquis Europae portubus; quod ex genio gentis Turcicae repetendum! Pendent omnia ex Fedd. a. 1612, 1680. (n. 269, 729.). Erga *regios* aliarum gentium *Consules* idem observatur ordo, qui inter Legatos (14). Exstat autem in Belgio iam ab a. 1624. Collegium, cui nomen *Directeuren van den Levantschen Handel en Navigatie*; cui certis sub legibus a. 1675. d. 12. Apr. et d. 7. Oct. inter alia commissa est rerum Turcicarum cura in primis pe-

---

mentele Wet voor alle Consuls. Quod immutatum nolebant, *Groot Placaatb.* T. VII. p. 526.

(13) Ex Decr. OO. GG. a. 1743. d. 2. Nov. *Groot Placaatb.* T. VII. p. 539.

(14) Argum. *Rescriptum* OO. GG. a. 1740. d. 25. Ian. *Groot Placaatb.* T. VI. p. 36.

pecuniaria, et facultas exigendi pecunias ex navibus mare mediterraneum et portus Turcicos petentibus; ex quibus iterum solvantur Consulum honoraria. Habet et hoc Collegium alia iura et privilegia (15). Hi Directores probantibus OO. a. 1762. d. 27. Apr. novum Vectigalium Matriculam (*Toltarif*) confecerunt (16). Inter recentiores leges, ex quibus agunt *Consules*, eminent a. 1741. d. 27. Iun. et d. 30. Oct. De stipendiis, atque expensis, donisque, vulgari nomine *Spendatiepenningen*, multa prostant Consulum gravamina et apud OO. querelae (17). An semper iustae? In oris Africae eadem fere est Consulum Belgarum ratio ac potestas quae in Turcia. De expulso nostro consule ex Vrbe *Tetuan*, et violato Gentium iure, habetur Decretum OO. a. 1764. (18). Quantae vero sit necessitatis, ut in oris Turcicis alantur Consules et Legati, docent Acta et Deliberationes a. 1740. et 1760. CAP. X.

§. IOL. Praeter Consules rei mercatoriae curam gerentes, in Regno Lusitaniae *litibus caus-sis-* Iudex Conservator in Lusitania.

(15) *Tegenwoord. Staat der Vereen. Nederland.* T. I. p. 612. sqq.

(16) *Rec. der Zeez.* T. IX. p. 93.

(17) Per lancem saturam de his habentur in *'t Recueil der Zeez.* T. IV. p. 106, 458, 463, 473. T. IX. p. 521, 584. T. X. p. 291. *Groot Placaatb.* T. III. p. 311. T. IV. p. 246. sqq. 1350. sqq. T. V. p. 1552. T. VI. p. 293. sqq. T. VII. p. 523.

(18) *Nederl. Jaarboek.* h. a. p. 733. sqq.

CAP. X. *fisque*, quae Belgas inter mercatores intercedunt, iudicandis habent *Iudicem* suum *conservatorem*, Belgice *Rechter Delegaat*, vel *Ius Conservador*, a quo non datur provocatio, nisi ad Tribunal Regium, vulgo *Relationis Senatum*, qui quarto post appellationem mense caussis litibusque ad se delatis finem imponat. Eius honorarium solvitur ex aerario, *de conservatoire Kasse* dicto, quod illic ab mercatoribus, ex eorumque commodis constituitur, cui administrando formula ab OO. praescripta est, et *Quaestor* separatim constitutus (19). Orta illic a. 1749. lite inter Legatum Belg. (*Resident*), et *Consulem* iunctis cum eo Mercatoribus, qui ad exemplum aliorum suum sibi *iudicem* ac *substitutum* designare volebant; OO. ut litem dirimerent, novam formulam praescripserunt (20). Ex altero OO. Decreto a. 1749. d. 1. Aug. (21) non alius constitui poterat, quam qui *Assessor* erat *Tribunalis* ipsius superioris, ad exemplum Anglorum et Gallorum.

In Sicilia. §. IOLI. In *Sicilia* ante initum Fedus Commercii

(19) Titulo: *Reglement op de beheering der Conservatoire kasse der Hollandsche Natie in Portugal*, ex Decretis a. 1733. d. 24. Nov. a. 1734. d. 2. Mart. a. 1735. d. 18. Iul. *Groot Placaatb.* T. VI. p. 291—296. De *Quaestore* a. 1749. d. 1. Aug. T. VII. p. 551.

(20) Tit. *Reglement op 't aanstellen van een Jus Conservador of Rechter Delegaat van de Hollandsche Natie en een Substituit of Serventuaris*, a. 1749. d. 24. Mart. *Groot Placaatb.* T. VII. p. 548.

(21) *Groot Placaatb.* T. VII. p. 551.

cii OO. aequale Gallis ius ſibi esſe contendebant, atque adeo Ablegato ſuo (*Envoyé*) a. 1741. facultatem dabant conſtituendi in Sicilia ad Gallorum exemplum *Ius Conſervador*, ſive *Iudicem Conſervatorem* ſuae nationis, qui ſimul esſet membrum ſupremi Magiſtratus Commercii, eodem quo *Conſervatores* fruiti erant iure (22). A. 1746. lis orta est, utrum per Conſulem an per Regem ex tribus deſignatis conſtitui is deberet? OO. conſulti nihil determinabant, ſed ad uſum aliorum Conſulum rem referebant. Videntur haec orta ex Federe cum Hispanis a. 1714. cuius §§. XXVI. et XXIX. iudex ille vocatur *'s Konings Beſchermrechter van de Natie.* An deinceps Rex Siciliae hos Iudices abrogavit? Certe inito cum Rege *Siciliae* Federe a. 1753. postea ſtipulabantur OO. Belgg., §. III. *ſi dans la ſuite on accorde à quelqu'autre Nation le droit d'avoir un Juge délegué où Jus-Conſervador, le même droit ſera accordé aux ſujets de la Republique.* Neque tamen in his facilem fuisſe Regem, conficias ex actis geſtis a. 1767. CAP. X.

§. IƆLII. Diverſae paullo indolis ſunt, qui in Belgio habentur *Scoticae nationis Iuris Conſervatores* vel *Iudices Conſervatores.* Ab prima nempe Mercaturae aetate, ante liberam etiam Rempublicam, *Scotica* natio, nominatim in oppido Zeelandiae *Campvera*, inſignibus gaviſa est privilegiis, et iure *Stapulae*, una cum *iurisdictione civili* et *criminali*

In Belgio ipſo.

Scoticae Nationis.

(22) Decr. a. 1741. d. 2. Sept. *Ibid.* T. VII. p. 531.

CAP. X. *minali* in cives suos *Scotos*. Vnde his etiamnunc nomen *de Schotsche Court* adhaesit. Repetuntur haec ex nuptiis WOLPHARDI *Borsaliae* et *Verae* Domini cum MARIA IACOBI II. Regis Scotorum sorore (p. 284.). Habent hoc fine Scoti illa in urbe *iudicem Conservatorem* aliosque ministros. Nituntur vel si mavis confirmantur haec iura Pactis et Legibus. Pacta sunt vel generalia a. 1550. d. 15. Dec. (n. 137.) a. 1594. (n. 209.) vel specialia, quae Scotis intercessere cum Marchione (Principe Auriaco) et Magistratu Verano, inde ab a. 1578. d. 18. Oct. usque ad a. 1781. Vnde ius Stapulae adhuc viget. Edicta OO. GG. a. 1587. d. 9. Ian. (n. 201.) et Privilegia, saepe quidem intermissa (23) ad eaque confirmanda sollemnis ex Scotia legatio nomine *Collegii Mercatorum ex regiis Scotiae urbibus*, a. 1748. ad novum Gubernator., Princ. WILHELMVM IV. missa est (24). Vrbs

---

(23) Plura de his *Tegenw. Staat der Vereen. Nederl.* T. X. p. 177. sqq. et M. J. VISVLIET, Dissert. Leid. 1786. defensa *de origine privilegiorum, mercatoribus Scoticis in urbe Vera concessorum.*

(24) *Nederl. Jaarboek.* a. 1748. p. 1228. et pluribus narratur in Libro, cui tit. *The staple Contract, betwixt the Royal Burrows of Schotland and the city Campvere in Zealand*, cett. Edinburgi 1749. 8vo. Sed omnium accuratissime de integra re, uti et de Scotorum cum Belgis, ab prima aetate usque ad Confirmationem Pacti ad a. 1781. duraturi, Mercaturae nexu et consuetudine Vir Rev. JAMES YAIR, *an Account of the Scotch Trade*

Vrbs *Vera* faepe aemulas experta est nonnullas Hollandiae urbes, *Roterodamum*, *Dordracum* (25). CAP. X.

§. IↃLIII. Est et alia *Roterodami* Societas Mercatorum *Anglorum*, qui ex Fedd. pristinis dicebantur *Koopluiden Adventuriers*, ipsi egregiis ornati privilegiis, sub nomine *Engelsche Court*. Diversis iactati fatis, nunc admissi, nunc repulsi. Suum habent *iudicem conservatorem*, cuius est *iurisdictio civilis* in Anglos Mercatores (26). De his aliae urbes, Medioburgum, Delphi, Dordracum, ex aemulatione controversias olim moverunt (27). Anglicae nationis.

§. IↃLIV.

---

de in the Netherlands, and of the staple port in Campvere, a. 1776. 8vo. (quo etiam usus est Vir Conf. VISVLIET), qui, quum V. D. Minister fuerit *Curiae* Scoticae in Vrbe *Campvere*, ex ipsis Commentariis Scoticis, qui illic asservantur (*the Registers of the Scotch Court in Campvere*) multa nova et Belgis parum publice cognita, in lucem produxit, in primis de mercaturae *aemulatione* et de metu, quem illa *Curia Scotica* eiusdemque *Iudex Conservator* conceperat, postquam Gub. Belgg. WILHELMVS IV. ad OO. retulerat consilia sua et conamina de Mercatura Belgica promovenda, et de *portu* in ipsa Republica *libero* (porto franco) aperiendo, p. 295. et 381.

(25) VAN DE WALL, *Handvesten van Dordrecht*, p. 1806. sqq.

(26) Cuius origo in Belgio ab sec. XIV. iam repetenda!

(27) VAN DE WALL, l. l. p. 1750. sqq.

CAP. X.

Legati Belgae ad alias GG.

§. IↃLIV. Praeter ea quae Legatis Belgarum ab Republica misſis cum aliis ſunt communia, in tuendo ordine, privilegiis, iuribus, immunitatibus, cett. ſunt quaedam Belgarum propria, ex legibus, moribus, pactisque repetenda, et obſervanda, in primis habita ratione deſignationis, honorum, receptionis, ſervandi arcani, et obeundi muneris.

Deſignatio.

§. IↃLV. In modo deſignandi Legatos, ad exteros mittendos, multum valet lex vel conſuetudo, inter ipſas Provincias obſervata. Momentum vel origo petitur ab *commercii* ratione, ab *expenſarum*, quas potisſimum ſolvit Hollandia, vel ab ipſa *gente*, ad quam Legatus mittitur.

Ordo.

§. IↃLVI. Maior minorve Legatorum ac Miniſtrorum publicorum ordo pendet ab diverſa temporum vel rerum tractandarum indole, vel ab maiori minorive aulae, ad quam mittitur, magnificentia et faſtu, vel ab uſu aliarum gentium eodem temporis articulo.

Honores.

§. IↃLVII. Quod Legati Belgarum primi ordinis iisdem mactantur honoribus, quibus Legati *regii*, maxime id ſeſe exſerit in ſollemni receptione. Ritus autem *cerimoniales*, quibus in aulis *Galliae*, *Angliae*, *Hiſpaniae*, *Luſitaniae*, *Daniae*, *Sueciae*, etc. recipi debeant, vulgo in antecesſum definiuntur, ipſaeque interdum *Inſtructiones* praecipiunt. Haec ad OO. accurate perſcripta pasſim narrantur (28). Post graves ſaepe de his controverſias in Gallia, quos *honores regios* Rex Gall. a. 1679,

(28) Nobiliores nonnullas Belgarum Legationes recenſet WICQUEF. *Amb.* T. II. p. 416—514.

a. 1679, 1719. iis tribuerit, narrat WAGENAAR (29). Quum Rex Daniae a. 1717. novas cerimoniae Leges introducere vellet, Legati agmine facto obnitebantur. CAP. X.

§. IↃLVIII. Pro more Orientalium pompa olim magnifica *Legationes* in Russiam obibantur. Extant prolixae initarum ab Belgis descriptiones. Manet mos et pompa fastidiosa in aula Imperatoris *Turcarum*, Constantinopoli. Hic raro ad exteras Gentes mittit Legatos. Consilia, a. 1754. de hoc negotio in aula Turcica inita, reiecta sunt ob rationes excelsi etiam animi Principe dignas. Quos tamen mittit, eis iura et honores solito maiora tribui postulat ad normam eorum, quae ipse Imper. tribuere Legatis Europaeis solet. *Galli* et *Angli*, et ad eorum exemplum, *Belgae*, ex *Capitulationibus* a. 1612. §§. IX, XI, XLI. et a. 1680. §. VI. illic in suae nationis cives pleniorem exercent iurisdictionem, etiam *criminalem*; sedent nostrates iudices caussarum ac litium eorum Belgarum, qui in Imperio Turcico degunt; iidemque navium vectoribus suum cuique tribuunt ex Legibus Belgicis, salva tamen ad Tribunalia Reipublicae appellatione. Eaque iura, in favorem quoque Consulum, extenduntur ad omnes Portus et oras Turcicas (*de Schalen van de Levant*). Magnifica, neque minus *sumtuosa*, illic est Legatorum *receptio*; *Maioridomus* sive primario Imperatoris Ministro (*Grootvizir*) aeque

In oriente.

(29) De priori *Histor. Patr.* T. XV. p. 4. de altera T. XVIII. p. 210.

CAP. X. aeque atque Imperatori mandata (*Credentialen*) exhibentur ab Legato, eaque sollemni pompa traduntur, antequam *aditus* ad ipsum Principem pateat. Est mos singularis hac in aula, Legatos Imperatorem accedentes per satellites sustentandi, vel ex vestimenti lacinia detinendi. Exempla a. 1668. et 1766.

Leges Belgg. §. IϽLIX. Praeter Mandata, ex quibus constitui solent varii generis Legati, insignes in Belgio sunt Leges super Legatis; in his quae spectant illorum fidelitatem, dona munera, familiam, domesticos, comitatum, apparatum, honoraria et emolumenta.

Arcana. §. IϽLX. Servare Reipublicae arcana his maxime iniunctum. Qui Legatis ab secretis sunt, eorumque scribis, sub poena periurii, graviori etiam supplicio, interdictum, ut ne secreta consilia revelent. Ex iurisiurandi formula his praescripta, cum *novellarum* scriptoribus nihil quidquam communicare licet. Si qua sint quae celari, certe ad tempus! Reipublicae referat, ea non ad OO. perscribuntur, uti reliqua ex Decreto a. 1651. d. 21. Iul., sed *arcanis* concepta *notis* (p. 472.) ad *Graphiarium* OO. mitti debent (30).

Apparatus et domestici. §. IϽLXI. Quo dignius sese gerant, simul et Reipublicae honorem sustentent; neve ab altera parte abusus irrepant: generali Lege, quae paucis exceptis adhuc valet vigetque, a. 1700. d. 26. Iul. cau-

(30) Ex Lege OO. a. 1704. d. 4. Iul. *Groot Placaatb.* T. VI. p. 281.

cautum est de Legatorum *comitatu* ac *domesticis*, CAP. X.
qui pro dignitatis gradu et ordine his assignantur; simul et apparatu, aliisque, quae occurrant, necessitatibus.

Tenebantur Legati extraordinarii secum habere, et ex emolumentis sibi concessis alere verbi Divini *ministrum*, *secretarium*, duos *scribas*, (*Klerken*) Aulae *magistrum* (*Hofmeester*), duas *rhedas* pensiles senis equis tractas, duos *nobiles* iuvenes (*Pages*), octo pedissequos (*Lakkeien*), duos *rhedarios*, duos equorum *ductores* (*Voorryders*), et *ostiarium*, omnes insignibus (*Livreyen*) distinctos, et quotquot praeterea adsciscere velint. Pro numero vero Legatorum *extra ordinem* missorum (quod Belgis olim admodum frequens) augebatur *comitatus* et *apparatus*. Sed multum in his datur tempori et usui. *Legatis ordinariis*, et qui secundo ac tertio porro ordine recensentur, *Ablegatis* (Belgis vulgo *extraordinaire Envoyés*), *Deputatis extraordinariis sine charactere* (quorum in sumtibus ratio est ac missio); *Residentibus*, *Agentibus*, *Commissariis*, ac *Secretariis*, suae quoque praescriptae sunt leges, suaque muneris honeste ac decore obeundi norma.

§. IϽLXII. Quot vero et quales ordinis superioris vel inferioris Legatos Respublica apud exteros alat, pro re et tempore variat; de sua aetate id docuit JÁNIÇON (31): de nostra aetate iudicari opti- Numerus Legati.

---

(31) *Republ. der Vereen. Nederl.* L. I. C. II. p. m. 175. Add. *Tegenw. Staat der Vereen. Nederl.* T. I. p. 271. sqq.

CAP. X. time potest ex iis, quae ad OO. GG. retulerunt *Commisſarii* rebus ſubſidiariis examinandis praefecti (32).

Dona munera. §. IↃLXIII. Omnibus hoc commune est Legatis, Ministris, quin et Conſulibus, ut, ſi donum munus accipiant, infames ſint, et ipſo facto Legatione cadant ex lege a. 1651. d. 10. Aug. idque etiam ad *honores* et *titulos* accipiendos extenſum. Quae cauſſa fuit, cur a. 1742. Conſuli Smyrnenſi *Hochepied*, illud roganti, OO. GG. ſpeciali decreto permitterent titulum *Comitis Hungariae*, quo ipſum Regina Hungariae decorabat, ſimulque res Reginae gerendi facultatem dabant, non asſumto tamen titulo Conſulis (33). Excepta ſunt a. 1675. d. 29. Apr. ordinaria dona (*de ordinaris en gewoonlyke preſenten*), quae vel in itinere vel in discesſu dari publice Legatis ſolent; quaeque reduces Ordinibus exhibeant; ea addita lege, ut in aliis prioris Decreti nulla amplius posthac gratia fiat (34).

Emolumenta. §. IↃLXIV. *Emolumenta* et *honoraria* Legatorum maxima ex parte pendent ab maiore minoreve ordine et dignitate. Atque haec iterum dignitas pendet ab temporis conditione, vel ratione ſtatus, vel uſu aliarum gentium, vel ab aulae magnificentia.

(32) *'t Generaal Rapport van de perſonele Commisſie van het Financiewezen*, a. 1790. d. 21. Maii.

(33) *Groot Placaatb.* T. VII. p. 536.

(34) Cf. OO. Decret. a. 1711. d. 16. Febr. a. 1743. d. 12. Oct. a. 1750. d. 12. Sept.

tia. Neque ex alia magis re splendor et opulentia Reipublicae elucescit, quam ex iis, quae olim, et etiamnunc, in Legatos expendit suos, ut digne sua munera obeant ac honorifice prodeant. Verum haec recensere, non patitur operis ratio. Satis ea explicita sunt generali illa lege a. 1700. d. 26. Iul. qua simul pro diverso apparatu coëmendo et instruendo, pro insignibus domesticorum, pro vestibus luctus publici ergo mutandis, pro pensione aedium, singulis certae assignatae sunt pecuniae. Generalia quaedam hic observanda! Quae honoraria adsignantur *Legatis ordinariis* aliisque ministris publicis, solvuntur et descripta habentur in solita Reipubl. Belgicae Feder. *Matricula*, cui nomen *de Staat van Oorlog*; reliqua separatim per Leges et Decreta, ex publico Aerario. Ordinariis et extraordinariis hoc commune est, ut ab primo designationis die certa pecunia quotidie solvatur; soliti vero honorarii persolutio incipiat octavo ante die, quam Legatus territorio discedat Reipublicae; desinat vero octavo post introitum die; si quis navi proficiscatur, (a. 1724. d. 9. Aug.) ab eo inchoët die, quo navem conscendat. Legato Reipublicae caussa arcessito pensantur itineris sumtus: si privatis ex caussis duos amplius menses in Republ. commoratur, dimidia parte honorarii careat; haec mora a. 1705. d. 9. Sept. integro honorario castigata, sed a. 1736. d. 10. Iul. prior renovata Lex est, ita ut, etiamsi adesset impetrata OO. facultas, ea sine exceptione valeat; ministris vero ex Hispan. et Lusitan. (a. 1737. d. 22. Maii) 4 mensium mora permissa. Vxore legati vel liberis, quos secum habeat, defunctis nonnullae compen- CAP. X.

CAP. X. santur expensae. *Defuncti* vero Legati viduae duorum mensium stipendia conceduntur, in Hispan., Lusit., nunc etiam in Russia ex lege a. 1735. d. 6. Oct., alibi *unum* per mensem; ac sumtus itineris ex publico rependuntur, nisi ea supra annum moretur. Aliae etiam resarciri solent expensae, quae sustentandi honoris Reipubl. gratia fieri solent, tamquam *Curialia*, in introitu, sermonis aditu, in pangendis federibus ac discessu; nec non *strenae* anniversariae consuetae. Ne tamen in abusum rapiantur, epulae initiales, et alia similia, ad certam summam taxata sunt (a. 1719. d. 11. Nov.) vel abrogata. Pensantur aliae festivitates, si OO. iussu fiant. Similiter ubi principis aulam sequi, vel in castris vel in agris commorari par est. Cautum etiam est de literarum expensis, damno *cambiali*, curruum et equorum transvehentium mercede. Ad sustentandum vero fastum Orientalium Legatis in Turcia degentibus maior est honorarii necessitas. Illud tamen ex publico aerario non tribuitur. Graviora his emolumenta accedunt ex Aerario, mercaturae Mediterraneae ac Turcicae sustentandae destinato (vulgo *de kas van den Levantschen Handel*), et ex mercatorum et commercii defensione aliisque. Quinam in hanc Legationem impendi debeant sumtus, iudicare licet ex iis, quae a. 1788. OO. rogabant Directores istius *Aerarii* de non revocando, qui hodie in Turcia degit, Legato; addita ratione, quod ex simplici Legati permutatione, pro novo apparatu ac ceteris necessitatibus comparandis expensae aerarii sui ad *f* 40000. computarentur.

Reduces. §. IↃLXV. Postremo Legatos reduces referre ad

ad OO. oportet res actas gestas, scripto consignatas; quo spectant *de Verbalen* et *Rapporten der Ambassadeurs* (35). CAP. X.

§. IↃLXVI. Quemadmodum autem omnia Reipublicae, quae hoc in opere recensui, commoda, emolumenta, divitiae, honores, dignitates, gloriosa facinora, nec non exterarum gentium honorifica de Belgis Federatis persuasio et existimatio, debentur prudenti *Procerum moderamini*, iuxta et pervicaci *civium* ac mercatorum *industriae*; ita haec omnia Respublica nostra longum in aevum conservet, digne tueatur, et ad seros propaget posteros, omnium bonorum in votis est.

Conclusio operis.

---

(35) De his WICQUEF. *Amb.* T. II. p. 403. sqq.

SVC-

SVCCESSIO REGVM, QVORVM MAXIME HIC MENTIO, SVB LIBERA REPVBLICA.

REGES GALLIAE.

HENRICVS III. a. 1574—1589.
HENRICVS IV. a. 1589—1610.
LVDOVICVS XIII. a. 1610—1643.
LVDOVICVS XIV. a. 1643—1715.
LVDOVICVS XV. a. 1715—1774.
LVDOVICVS XVI. a. 1774.

REGES M. BRITANNIAE.

ELISABETHA a. 1558—1603.
IACOBVS I. (*Rex Scotiae* h. n. VI.) a. 1603—1625.
CAROLVS I. a. 1625—1649.
Interregnum a. 1649. sub OLIVARIO CROMWELLO *Protectore* a. 1653—1658.
Sub RICHARDO CROMWELLO a. 1658—1660.
CAROLVS II. a. 1660—1685.
IACOBVS II. a. 1685—1688.
WILHELMVS III. a. 1689—1702.
ANNA a. 1702—1714.
GEORGIVS I. a. 1714—1727.

GE-

GEORGIVS II. a. 1727—1760.
GEORGIVS III. a. 1760.

REGES HISPANIAE.

PHILIPPVS II. a. 1556—1598.
PHILIPPVS III. a. 1598—1621.
PHILIPPVS IV. a. 1621—1665.
CAROLVS II. a. 1665—1700.
PHILIPPVS V. a. 1700—1746.
FERDINANDVS VI. a. 1746—1759.
CAROLVS III. a. 1759—1788.
CAROLVS IV. a. 1788.

REGES LVSITANIAE.

ANTONIVS a. 1580.
PHILIPPVS I. (qui *Rex Hispan.* h. n. II.) a. 1580—1598.
PHILIPPVS II. (*Hispan.* III.) a. 1598—1621.
PHILIPPVS III. (*Hispan.* IV.) a. 1621—1640.
IOHANNES IV. a. 1640—1656.
ALPHONSVS VI. a. 1656—1683.
PETRVS II. a. 1683—1706.
IOHANNES V. a. 1706—1750.
IOSEPHVS a. 1750—1777.
MARIA FRANCISCA ISABELLA a. 1777.

REGES SICILIAE.

Sub RR. Hispan. usque ad a. 1736.
CAROLVS IV. a. 1736—1759.
FERDINANDVS IV. a. 1759.

IMPERATORES GERMANIAE.

MAXIMILIANVS II. a. 1564—1576.
RVDOLPHVS II. a. 1576—1612.
MATTHIAS a. 1612—1619.
FERDINANDVS II. a. 1619—1637.
FERDINANDVS III. a. 1637—1658.
LEOPOLDVS a. 1658—1705.
IOSEPHVS I. a. 1705—1711.
CAROLVS VI. a. 1711—1740.
CAROLVS VII. a. 1742—1745.
FRANCISCVS a. 1745—1765.
IOSEPHVS II. a. 1765—1790.
LEOPOLDVS II. a. 1790.

REGES DANIAE.

FREDERICVS II. a. 1559—1588.
CHRISTIANVS IV. a. 1588—1648.
FREDERICVS III. a. 1648—1670.
CHRISTIANVS V. a. 1670—1699.
FREDERICVS IV. a. 1699—1730.
CHRISTIANVS VI. a. 1730—1746.
FREDERICVS V. a. 1746—1766.
CHRISTIANVS VII. a. 1766.

REGES SVECIAE.

IOHANNES III. a. 1568—1592.
SIGISMVNDVS a. 1592—1604.
CAROLVS IX. a. 1604—1611.
GVSTAVVS ADOLPHVS a. 1611—1632.

CHRIS-

CHRISTINA a. 1633—1654.
CAROLVS GVSTAVVS X. a. 1654—1660.
CAROLVS XI. a. 1660—1697.
CAROLVS XII. a. 1697—1718.
VLRICA ELEONORA et FREDERICVS I. a. 1719—1751.
ADOLPHVS FREDERICVS II. a. 1751—1771.
GVSTAVVS III. a. 1771.

REGES POLONIAE.

STEPHANVS BATTHORIVS a. 1575—1587.
SIGISMVNDVS III. a. 1587—1632.
VLADISLAVS VII. a. 1632—1648.
IOHANNES CASIMIRVS V. a. 1648—1669.
MICHAËL WIESNIOWIECKI a. 1669—1674.
IOHANNES SOBIESKI a. 1674—1696.
FREDERICVS AVGVSTVS II. a. 1697—1704.
STANISLAVS I. a. 1704—1709.
FREDERICVS AVGVSTVS II. restitutus a. 1709—1733.
FREDERICVS AVGVSTVS III. a. 1734—1763.
STANISLAVS AVGVSTVS II. a. 1764.

ELECTORES BRANDEBVRG. REGES BORVSSIAE.

IOHANNES GEORGIVS a. 1571—1598.
IOACHIMVS FREDERICVS a. 1598—1608.
IOHANNES SIGISMVNDVS a. 1608—1619.
GEORGIVS WILHELMVS a. 1619—1640.
FREDERICVS WILHELMVS a. 1640—1688.

FREDERICVS III. a. 1688. *Rex Borussiae* I. a. 1701—1713.

FREDERICVS WILHELMVS Rex I. a. 1713—1740.

FREDERICVS II. a. 1740—1786.

FREDERICVS WILHELMVS II. a. 1786.

INDEX RERVM, VOCVM, PERSONARVM, LOCORVM, FEDERVM, PACTORVM; ET TRANSACTIONVM (*).

A.

(*) Multa sunt Federa, quae ab locis denominari vulgo solent. His annos adiicere, rem haud inutilem fore existimavi. E. g. *Aboënsis Pax* (a. 1743.)

B.

Belli

C.

D.

E.

F.

F.

 G.

G.

H.

I.

In-

K.

L.

Lim

M.

N.

O.

P.

Q.

Q.

R.

S.

T.

U.

V.

W.

X.

Y.

Z.

COR.

CORRIGENDA ET EMENDANDA.

p. 34 r. 4 infr. *fummum ei* l. *fummum*
— 111 r. 18 *heredum* l. *heredibus*
— 112 r. 5 infr. *redati* l. *fedati*
— 116 r. 1 *ager* l. *agger*
— 120 r. 2 infr. *Imperio* l. *Imperii*
— 135 *not.* 77 r. 4 *patrem* l. *mortuum patrem.*
— 139 r. 8 *ad domania* l. *ex domaniis*
— 140 *not.* r. 10 *expugnatio* l. *expunctio*
— 192 r. 10 *conftituuntur* l. *conftituunt*
— 196 r. 2 infr. *verixerunt* l. *revixerunt*
— 255 r. 7 infr. *integrum*, delenda vox.
— 311 r. 15 *Tostrupia* a. 1653. l. *Tostrupia* a. 1658.